Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Sturtz

Orationes Aliquot Virtutis Ac Prudentiae Civilis Exempla Proponentes : Expositis Vita Et Rebus Gestis quorundam Ducum Megapolitanorum

Lubecae: Rostochii: Albertus: Myliander, 1601

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

1130.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0001
DFG

Mk_1130. ~~Mk. 1587.~~
Mk_1130.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0002
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0003
DFG

No 13

ORATIONES ALIQVOT VIRTVTIS AC PRVDENTIAE CIVILIS EXEMPLA PROPONENTES.

EXPOSITIS

VITA ET REBVS GESTIS quorundam Ducum Megapolitanorum.

Habitæ à

CHRISTOPHORO STVRCIO
I. V. D. & Hiſtoriarum
Profeſſore.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri, Anno 1601.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0005
DFG

Illustrissimis Principibus ac Dominis,

DN. ADOLPHO FRIDERICO
ET
DN. IOANNI ALBERTO

Fratribus, Ducibus Megapolitanis, vetustæ gentis Henetæ Principibus, Comitibus Suerinensium, Rostochiensium & Stargardianorum Dominis, Dominis meis clementissimis S.

Sanctius & præstabilius non est aliud vitæ munus, quàm de sua suorumq; recta educatione solicitum esse, quâ quod indolem bonam naturaq; præclaræ vim illustrat, & perpetuò virtutis exercitio perficit: quâ quod vitæ totius omnisq; laudis subductam rationem in se complectitur. Sed enim nullum vitæ lumen majus, nullumq; magis splendidum, vel in præceptis, vel in exemplis constare potest, quàm sunt majorum adeoq; domesticæ disciplinæ decora. Pulchra vereq; heroica omnium virtutum exempla, quæ sui cognitione & utilitatem summam, & dignitatem eximiam continent & referunt, in Vestra Illustrissima familia conspici. orationes memoriæ defunctorum Ducum Megapolitanorum Vestrum Celsitudin. aviæ, propatrui, patris, & patrui *piæ memoriæ habitæ, non obscurè demonstrant. Itaq; ut fidei & subjectionis meæ argumentum aliquod extaret, tantò lubentius VV. Celsitud. eas inscribere volui, quantò virtutis ac felicitatis humanæ vim in ijs contineri evidentiùs cognoscetis. meq; ut in vestram clientelam suscipiatis etiam atq; etiam rogo. Datæ Rostochij Calend. Novembris Anno M. D. C I.*



Vestris Celsitudinib.

addictissimus

Christophorus Sturcius.

ORATIO
Prima

DE POLITICI VIRI DIGNITATE, LAVDE AC FELICITATE.

CVm puplicum docendi munus mihi sit commendatum, & non tam imago; ut illam rei consideratio subijcit, quàm proverbij veritas SPARTAM QVAM NACTVS ES ORNA: me submoneat, quantâ fide & solicitudine animi officio meo satisfacere debeam: haud abs re me facturum putabam, AVD. Si eam meditationem susciperem, quæ singulis etjam principibus in repub viris in suo munere rectè faciendo utilis & grata futura esset. Agnosco quidem ingenij mei tenuitatem, quòd, ut maximè velim, perficere tamen ex voto animi cuncta non possim. Sed cùm vestræ benignitati plurimum tribuam, quod balbutienti mihi veniam sitis daturi: tum id obscurum vobis non est, quòd honestus conatus nemini unquam fraudi fuerit, Nec verò de ulla re diligentius vel accommodatius cogitationem suscipere debui quàm de justicia & jure, non ut ejus causas, accidentia & effectus explicem, nam id longum foret, nec hujus est loci vel temporis; sed ut demonstrem omnis scientiæ matrem, omnis imperij radicem, omnisq; laudis penu esse justiciam, quæ cuncta irradiat, cuncta continet, cunctaq; illustrat, quâ remotâ nihil sapientia, nihil opum potentiæq; magnitudo proficit. Hæc est forma rerum humanarum, per quàm sui essentiam & stabili-

mentum habent, hæc est finis omnis laboris, quem principes, reges, Duces, Coss. I Cti alijq; patriæ consultores sibi propositum habent; hæc nisi scopus fuerit, nunquam salus & tranquillitas Reipub. constituetur, vel sperari potest. De his rebus dum apud vos dissero, ut attentè & benignè me audiatis, etjam atq; etjam rogo.

Optimum ac præclarissimum naturæ munus est: Ratio in homine perfecta: quæ tum à bestijs nos longissimè separat segregatq; tum supremi genitoris opera docet agnoscere & meditari. Nam quemadmodum ipse DEVS perfectus in omnibus, divinâ virtute, se in sua diffundit opera, dum cuncta eo gubernante vivunt, sentiunt & moventur: Sic quoque illa mentis virtus, quæ parvam quandam DEI imaginem refert, in corporis membra diffusa, & ei conglutinata: tum actiones sui receptaculi rectè, honestè, prudenterq; gubernare: tum suum auctorem venerari ac colere debet. Itaq; quoties vultus ad æthera convertimus, nostræ originis memoria animo subeat: quoties jucundissimo cœli conspectu fruimur, occurrat, quare in hanc lucem venerimus; & deniq; quoties nostri corporis alimenta, vel ex terra, vel ex aqua consequimur, divinæ bonitatis munera agnoscere par est. Cogita, qui homo es, cur nos soli erectos in cœlum vultus geramus, cæteris animantibus terram spectantibus? Considera, cur nostro generi tributum sit, quod moribus honestis pijsq; studijs delectetur. Adverte, cur orationis formandæ adminicula data sint. Nonne hac conditione gignimur, ut generati DEO justa & debita obsequia præbeamus, hunc noscamus & sequamur? Nonne ideò erectum statum adepti sumus, ut cœlestem nostram originem, abjectis caducis rebus, spectemus & animo meditemur? Nonne ideo sermonis beneficio donati sumus, ut domicilia jungentes nos invicem dè justicia, ejusq; fonte religione, instruamus? Equidem sic planè statuamus par est, sic ratio ipsaq; justiciæ lex suadet & præscribit. Deinde ut pacatam & tranquillam vitam vivere possemus, planè necesse fuit bonas æquasq; leges constitui & promulgari: quas tum boni ob virtutis amorem venerarentur: tum mali ob pœnarum formidinem vererentur. Quis porro neget, quin longè certior & laudabilior sit vitæ ratio, si omnia sic constent modo & ordine? quam si pedes capiti, & affectus menti, plebsq; Principi imperent & imponant? Id naturæ maximè conveniens est ususq; ita probavit, quod & animantes ratione carentes factitare

tare cœco quodam ductu videmus: ut qui quapiam in re vel corporis robore vel sagacitate præstat, cæteris præsit atq; imperet, idq; in homine longè rectius procedere dicemus. Qui ergo ab alijs calamitates & pericula propulsat, qui publicæ pacis & salutis auctor est & esse potest, hunc verisimile est, consentiente multitudinis benevolentiâ ac studio, principatu vel in primis dignum judicari. Sic planè in unius hominis consilio, & rerum gerendarum prudentia quàm plurimum positum esse, existimandum est. Quare merito antiqui sapientes homines divinis extollebant laudibus, qui civitates suas, optimis institutis, ac saluberrimis legibus temperarunt. Lacedæmonij ex sua felicitate, quam honestissimis legibus latis ipsis attulerat, immortalem sapientiæ laudem Lycurgo tribuerunt. Sapientissimi Solonis Athenienſium legumlatoris memoria, ijsdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continetur. Non sine sapientiæ admiratione, leges illæ commemorantur, quas Locrensibus Zaleucus, quas Thurijs Charondas, quas Getis Zamolxis dedit.

Non latebat quidem hos sapientissimos viros, quin Reip: felix administratio, omnium rerum difficillimum sit munus. heu quàm rara nemeritorum gratia & memoria: attamen patriæ, adeoq; ipsius virtutis, quæ sibimet ipsa pulcherrima merces est, amore victi, posteaquam nihil antiquius in votis haberent, quàm ut sui ortus partem humanæ societati utilissimè consecrarent; non dubitarunt quævis etjam pericula subire, saltem suo consilio ac prudentiâ aliorum mentes moresq; gubernarent, multorumq; sibi odium & invidiam conciliarent: Lycurgus exilium elegit voluntarium, ut perpetuò suarum legum observantes efficeret cives suos. Solon item eandem sortem expertus est, major enim patriæ quàm propriæ salutis ratio apud eos habita fuit & viri sapientes verè bono publico nati. Ac licèt quandam eorum leges contineant disimilitudine: non n. illas eiusdem loci non ejusdé cœli, non eiusdem hominibus ingenij, ferebant: Tamen eundem sibi scopum præfixum habebant, ut nimirum omnium salus in tuto collocaretur, & omnium virtutum regina, ipso hespero formosior, justicia excoleretur. Itaq; eis atq; alijs prudentissimis viris gubernacula rerum tenentibus, omnia pacata erant, omniaq; ad honestatis & virtutis modum revocabantur: Si qua seditio oriebatur, prudenti examine concordia fiebat, si qua difficultas rerum eveniebat, temperato consilio inopia civium sublevabatur. Namque ratio & prudentia duo

maximè hominis bona, omnia feliciter perficiunt, quibus dum populus Romanus oblectaretur, maximus est effectus rerumq; potiebatur. Sed labãte virtutis studio, omnia temerario ac subitario impetu miserè ferebantur & perturbantur, quid pulchra vocabula pigris prætendis vitijs. A rectis in vitia: à vitijs in prava, à pravis in præcipita pervenitur. Quæ res alia quæso facit, quod nostri seculi facies tam tristis, tam turbulenta, tàm calamitiosa existit? nisi quia mortales optimas disciplinas, per quas lumen juris & justiciæ accenditur, mentesq; hominum corroborantur, earumq; cultores comtemptui ludibrioq; habent. Cur, quæso, Athenæ citiùs quàm Sparta, Sparta citiùs quàm Roma, gradu dignitatis ac potentiæ dimota est? Nonne quia de majorum recta consuetudine deflexerat, & legum imperium majestatéq; neglexerat? profectò sic factum est, & hæc ipsa caussa est, omnis mutationis. quare quod nobis tot religionũ dissidia, tot bellorũ motus, tot piorum ærumnæ impendent, & satis solicitè satisq; miserè exercent, nulla alia res facit, quàm quod Christiani qui perhiberi volumꝰ, nec officio nominis nedum institutis Salvatoris nostri Iesu Christi nos satisfacimus, Sed in eam præterea vecordiam pervenimus, ut mores plerìq inducant, quos corruptissimus quispiam inter Ethnicos vix admisisset: tantum abest, ut vulgò innocentiæ veræq; pietatis exempla nisi in admodum paucis sint reliqua. Scitum est illud Polibij, quod potentissimis civitatibus, Carthagine & Roma, multorum annorum bello, de imperio certantibus, ad extremum Carthago succubuerit, & victa conditiones acceperit, ob eam maximè caussam factum esse putat, quòd quo tempore inter eas incidit contentio, tum & Carthagine multò, quàm ante, negligentius: & Romæ multò, quàm ante, diligentiùs leges colebantur. Nihil enim sine jure perpetuum est. Vox ergo Salustij vatidica agnoscitur. Vbi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atq; superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quemq; à minus bono transfertur. Sic quoque, quod multæ & variæ difficultates Christianum populum comprehendunt, quod hostium insultus nos premunt, varia quod hæresium farrago excrescit quod malitia subsilit, quod virtus deficit, nostra proh dolor effecit securitas: Nihil enim sine virtutis perpetuo studio, sine religionis sinceræ vero cultu, & perpetua pietatis laude stabile & tranquillum permanet. O hominum dementiam! O detestandam insolentiam,

quæ

quæ apertis oculis mavult cæcutire quàm lumen veritatis sequi: obstupescere & malis subijci cupit, quàm cœlestis gloriæ bonum sui incolumitate magnoq; gaudio tueri. Iusta ergo pœna rectè consequitur. Quippe ita comparatum est, quibus fortunam mutaturus est Deus, ijs mentem immutat primùm, ut beneficia DEI non agnoscant, sed negligant: tuta non sequantur; sed periculosa sectentur: ut præcipites tandem agantur. quare meritò ijsdem consilia corrumpit Iehova, efficitq; quod miserrimum est, ut quod accidit, meritò accidisse videatur, & casus in culpam, culpa in caussam, caussa in auctorem transeat & redundet.

Videmus enim quomodo, qui cæteros vitâ, eruditione, exemplo præire debebant, corrupti ipsi & mente, & opinionibus & moribus, multis fenestram delinquendi; & eas disciplinas, quibus vita componitur, calumniandi aperiunt. tam promptè quàm facilè ad libidinem propendit ætas, agit felicitas, producit infirmitas. Et hæc corrupte-la glisicit ulteriùs totiq; nocet Reipub. In ijs enim studijs populus suam consumit ætatem, quibus suos principes delectari animadvertit. Heu quam incautè, quod casui se committit: quàm infaustè, quod fortunæ non virtuti, tempori non veritati credit, mutationibus ergò varijs obnoxium eum, quis miratur, nihil qui certum, firmum, fixum sequitur? Deploratam igitur demum tunc suam agnoscit conditionem, cùm abest copia consilij, cùm deest locus auxilij, nec in se quicquam est præsidij.

Cæterùm qui hanc animi affectionem non parvi ducunt, quâ se intelligunt ad justiciam esse procreatos: & tum si à prudentiâ Remp. adjuvant, tum morum vitæq; sinceritate sua dicta comprobant, hi maxima Reip munera conferunt: hi meritò in sua civitate ut rari sic summo cum honore chari sunt, hi inter ignotos clari, inter homines viri, inter viros heroes. Non enim porticus legum tabulis implere, sed vitæ rationem exemplis referre: non titulis hominum mentes decipere, sed rebus ipsis hominum judicijs satisfacere studeant, ut virtutis æquitarisq; laudem ac imaginem dictis factisq; suis exprimere, ac mentibus hominum quasi infigere posse videantur. Quare etjam id; quod velle bonitatis est, perficere virtutis; facilè consequuntur: ut eorum patria civibus frequens, pace tuta, opibus beata sit. Sanè quicunq; egregij civis nomen tueri volet; omnes autem velle debebunt; huc, huc inquam omnem curam, cogitationem, operam,

operam, industriamq; conferre debet, ut majus in votis bonum, quàm Dei est cultus, non habeat, præstantius in factis, quàm justiciæ est opus non agnoscat, elegantius in moribus quàm est prudentia juncta cum modestia, non acquirat. Hem pulchra possessio! suppellex quàm nitida! quam jucunda! nullo quæ seculo obsolescit. Qui sic vitam instituit suam, summum ille bonum suâ virtute consequetur, ut cum alios beatos exemplo reddit, ipse animo sit beatissimus, supra sortem humanæ infirmitatis positus. Nulla est res, sua quæ non requirat initia, media item certissima. Quid? rem pulcherrimam virtutem in factis, felicitatem in animo, tranquillitatem in medijs malis sine adminiculis comparabimus? haudquaquam. potissima rei præstantissimæ pars est principium. Itaq; in quem omnis actio desinere aptè debet, ab eo ducemus initium, nimirum, à Deo patre luminum, ut mens illustris inclita sapiat: à Christo, patris sapientiâ, ut membra capitis vim agnoscant: à Spiritu paracleto, ut vis semper integra sit, ne, dum frigemus spiritualiter, relinquamur carnaliter. Verum enim & media non desint commoda, ut animus erudiatur, Philosophia in media recte cõstituta: Vt lingua calleat, dicendi ars exposita est: voluntas procedat, rerum adest optio. Quis ergò unquam magnum quiddam sine literis attentare ausus fuit? Nam literarum monumenta continent ac demonstrant viam virtutis, tum incitandæ continent, in exemplis recti præmij, honorem & pœnam: tum consequendæ monstrant, vigilantis & desidis discrimen. Quinimò Reipub. præsidium est literarum cognitio & usus, quæ si suo lumine non accendissent, in tenebris jacerent omnia. Omnium quidem solers opera in bonis literis ac eloquentiæ studijs discendis & exercendis requiritur, ne quis sine capite truncus; sine sanguine exanimis: sine nervis imbellis censeatur. Maximè tamen convenit, ut principes in hanc curam incumbant: quorum virtus commune est Reip. bonum, vita est exemplum subditorum, felicitas humanæ societatis vinculum & germen existit. Sed tamen si utrique & princeps ipse & ejus subditi recte literis disciplinisq; informati, imbuti instructiq; fuerint, major Reip. accessio fiet, ut illis principatus tutior, & his Resp. lenior efficiatur. Itaque ut par sit domi militiæq; salus, utriusq; temporis disciplinis cives non solùm erudiri, sed & ad omne decus virtutis adsuefieri oportet: maturè, ut duret seipsâ contenta virtus: concinnè, ut constantia firmet, quæ adversitas fortè convelleret; differenter, ne quos iners agit voluptas

luptas, titulorum condecoret honestas. Ad utriusq; verò temporis Reip. commoda præparandi, ut in pace sint justiciæ amantes, & quàm diutissime floreant. In bellis ut sint animo roboreq; corporis præstantes, ut pericula avertere, eademq; sustinere possint fortiter. Nam civilis vita in bellorum & pacis oportunitates divisa est, hæq; tantum momenti obtinent, ut secundùm eas omnes humanæ actiones decernantur & dijudicentur. Quid enim voluptatis est in eo, quod turbatum est? quid tranquillitatis in eo, quod sub perpetuo motu est? nihil equidem. Ergo ut pax sit tuta, sit secura, sit certa, de bello cogitandum maturè, cogitandum necessariò, ne, dum præparamus belli instrumenta, convellantur Reip. fundamenta. concordia n. quæ desperatis res timida est in bellis: & prudentia, quæ malo discrimine præventa oculos amittit: inanis est & fortitudo, ubi omnes desperare videt. Magnam quis negat Principum laudem versari in rerum bellicarum scientia, in usu militiæ, in rerum gestarum gloria? utpotè quod & eorum virtus se omnibus ostendit, & nomen tunc demum omnium voce & admiratione celebratur, si armorum tractatione inclyti, vim atq; injuriam exterorum propulsare, hostes devincere, ditionis fines dilatare, & hostibus superatis glorioſa trophæa erigere noverint: recte. Sic enim civitatem calamitatibus liberare: Sic salutem multis dare: sic deniq; immortalitatem sibi comparare poterunt. Sed nondum hìc terminus principalis virtutis, nondum publicæ felicitatis hic modus. Mars incultus est, ornamenta pacis quærenda, ut nimirùm res civitatis secundas, sartas, tectas servet, honore virtutis ditet, ac dignitate perpetuâ cumulet. Itaq;, ut studia vigeant, artes bonæ floreant, cultoresq; earum amentur, curentur, honorentur, necesse est. Parum enim (ait M. Tullius) sunt arma foris, nisi domi sit consilium. Sed unde consilium, si abest usus & peritia? Sed quid usus absq; sapientia? Quid sapientia? ubi non discitur, non auditur, non cognoscitur, quid sit iustum, rectum, æquabile, commendabile. Hæc quidem se mutuò respiciunt, mutuasq; jungunt operas: attamen justiciæ præcepta eò accuratius, quò occurret usus frequentius, Princeps discet, eò diligentius tenebit, quò ad DEVM accedit propius; ab eo vim & originem ducens: eò exercebit lubentiùs, quod vinculum Reipub. aliud nec firmius, nec præstabilius potest esse ullum. Necessaria omninò sunt justiciæ opera, quod nisi justus esset DEVS, gubernare ille mundum non posset; Geo-

metra qui optimus est, & accidentium saltem extrema considerat. Necessaria justicia est omni regno & Reipubl., quòd nulla vitæ pars est, quæ absq; æquitatis jurisq; observatione consistere diu possit. Nam ubi spes veniæ proposita est delinquentibus, & præmia denegata justè agentibus, vix ibi malorum est diffugium. Qui igitur peritiam habet rei militaris, is hostes, sibi suæq; Reip. infestos propellere novit. Qui verò secundùm legum tramites calumnias hominum expellit: eorum, qui latenter vitijs suis totum civium cœtum inquinant; is exactè novit honestum à turpi discernere, & justum cum æquabili temperare. Itaq; pectora sunt potiora manu, Vigor omnis in illis est. Verùm, ut & in ipsa juris dicundi facultate æquitatis normam principes teneant, consilium est. Quapropter & prisci Poetæ, cùm Principes officij admonere vellent, Iovem medium inter Themim & Cratos in stellato solio finxerunt, Cujus jussu Aquila, quæ Iovis armigera & gestratrix fulminis dicitur, sceptrum flammas undiq; evomens Principibus in manus porrexit: Themi, quæ justiciæ, legis & pacis mater habita est: ensem τοῦ κράτους; quæ latine summa potestas est; & diadema aureum regibus largiente. hoc involucro significare volentes, quòd Princeps utriusq; temporis commodas artes scire debeat, tum ut satellites justiciæ ministros adjunctos habeat, quorum opera & consilio utatur: in bonis defendendis & in profligandis malis: tùm ut potentiores superbos armis persequatur & profliget. Laudabile ergò fuit institutum Alexandri Severi, qui nullam constitutionem sacravit sine viginti jurisperitis & doctissimis & sapientibus viris. Nihil de re militari statuit, nisi ante milites veteres & senes ac benè meritos, locorumq; peritos ac bellorum & castrorum, & maximè eos, qui historiam noverant, audivisset. De hinc Themis coronas h e. Reip. tranqullitatem & civium incolumitatem recta meditantibus imponit. Sed eadem Themis ensem τοῦ κράτους ideò porrigit, quòd nec quidem à Principibus se violari velit: sed quod summo etjam gubernatori occurrere debeat illud sapientissimum Trajani dictum, qui cùm præfecto prætorio gladium traderet, hæc verba addidit: Vtere hoc gladio ad me defendendum, quamdiu Legum diligens fuero observator: Sed si contra legum præscripta quid attentare ausus fuero, eodem gladio adversus me utere. Profectò magna laus est Principis, magnæq; virtutis propria. Sic Xenephon in primo Cyri Pæd. prudenter dixit: μέτρον οὐχ ἡ τύχη: ἀλλ' ὁ νόμος ἐστὶ,

lei, h. e. Lex regula vitæ ipsi non affectus. qui scilicet non affectus, malos offensi animi consiliarios, sed amicos sequitur: non susurros assentatorum, sed sermones veros amicorum admittit. Nam quid mali potest cogitari, vel fieri Principi, Regi ac Imperatori, cùm amici ad bonum consentiunt. Vitam qui æquo cum alijs jure non agit, sed fastu regni ad insolentiam profertur, & temerarius est, quòd immemor conditionis humanæ: & malis plurimis obnoxius, cùm nihil, cui certò innitatur, nec DEVM nec virtutem habeat. Imo tyrannis est jubere, ut alij faciant, quod ipse facere detrectas. Quapropter æquitatis summa à Rege seu Principe habenda est ratio, quod tum fit, quando sui officij modum in legibus ponunt, ut eas sequantur, & cuncta humanitate condiunt, ut misereantur.

Planè quod Plato de sapientia dixit, si oculis coram cerni posset, mirabiles sui amores excitaret: idipsum de Iurisprudentia atque de civili sapientia dicere possumus, Si homines propiùs tum utilitatem rei præstantissimæ: tum jucunditatem rei homini maximè necessariæ intuerentur, mirabili profecto eam discendi cupiditate tenerentur, ducerenturq; Sed nostræ inertiæ est, quòd tantam rem non intelligimus: at naturæ solertiæ est, ejus quod vim agnoscimus, nostræ ignaviæ si est, certè in hac parte indulgendum est, genuinæ artem ejus laudi nihil detrahendum est. Quid enim per DEVM immortalem hoc juris & æquitatis studio honestius? quid præstabilius? quid utilius? Ius alteri qui dicit, vicem DEI gerit, jus qui administrat, arbiter æquitatis & administer justiciæ est: Ius qui exsequitur, vitam hominum ordine & modo componit decentissimo. Itaq; omnium saniori testimonio constat, nihil jucundiùs esse, quàm si quis in studio æqui & boni maguam & præclaram operam collocet. Hæc cognitio animos hominum ab omni injustitia & impuritate, instar limpidissimi fontis, abluit; hæc ad veri justiq; inquisitionem deducit; hæc ad vitæ auctorem rerumq; arbitrum cuncta dirigit: Hæc patriam legibus fundat, lites litiumq; occasiones dirimit: hæc regna, civitates & oppida ornat: hæc cives, ut recta sequantur, monet, & ad virtutis tramitem perducit. In summa, ut tota civilis hominum societas, pace, concordiâ, legibus, firmetur, Iurisprudentiæ demùm adminiculis præsidijsq; rectissimè fieri posse videtur. Quamvis verò jus civile omnes gentes nòn receperint, lumen tamen rectæ rationis omnes agnoscunt.

Quapropter non minùs verè quàm prudenter majores dixerunt: Legem esse civitatis animam. quod sicuti sine anima corpus: ita sine lege civitas nullo modo persistat. Quis enim, quæso, furentem in arma populum, ac instar beluæ sævientem, frenaret sedaretq; ? Quis utilia proponeret consilia: tum salutaria statuendo; tum benè ordinata conservando? Quis diversorum populorum mentes obedientiæ limine uniret? Quis pauperi, inopi, depresso Civi, seu cuiq; suum jus redderet, si legem eiusq; cultores sustuleris? Si mage ex abrupto quàm explorato: casu fortuito quàm perpenso consilio omnia fieri decerniq; deberent. O misera hominum conditio! longè miserior futura, si hæc vitæ præsidia, si hæc communitatis vitæ monumenta, si hæc rationum momenta, tot sensibus indagata, tot explorata temporibus, plaue tollerentur. Ex raptu, me hercle, sine lege viveremus, non esset hospes ab hospite tutus, fugeret pudor, fugeret honestas, verumq; fidesq; : in quorum locum fraudes, doli, vis, tyrannis, succederent dominarenturq;. Hæc ferrei fuit seculi ratio, hæc ferina cùm vis in manibus esset, cùm non quantò justior, sed quanto potentior quis esset, censeretur melior. O cæcitas! O imprudentia! O peccati ansa, impudentia! Quare sapienter divinus ille Plato consulebat, amorem legis animis hominum infundendum, quòd sine lege non ulla Resp. sed nec exiguus hominum cœtus; ne parva quidem domus perduraret. Sanè perinde ut navis, si clavo careat, maris fluctibus nunc antrorsum, nunc retrorsum continuò impellitur, donec in scopulum illisa, aut aquis absorpta pereat: Sic civitas, si clavum h. e. legem, claviq; rectorem magistratum, non habeat, non cessat civilibus procelli collidi, usquequo interioribus repagulis dissolutis nutare occipiat, & tandem opibus viribusq; attrita, solo æquetur: Quare, quod res est, affirmare non dubitamus, inter omnes Philosophiæ doctrinas, quas illa multas, præclaras, utiles & elegantes habet, nulla est magis utilis, nulla magis idonea, nulla magis præstans, quàm ea est doctrina, quæ ex divinis primùm adytis promanat, & deinde quæ rationis ac prudentiæ adminiculo exercita, res divinas & humanas rectè disponit, & omnem iniquitatem expellit. Quæ enim alia inter omnes humanas disciplinas, honestatis beneq; & beatè vivendi normam rectiùs præscribit, quæ hominem pace, unitate, concordia, æquitate, justiciâ fideliùs adjuvat, quàm juris civilis prudentia? Ejus igitur rationem vel imprimis habendã esse eleganter Cicero admonet, quod eo sublato explo-

exploratum sit nemini, quid suum, quid alienum, quid à patre acceperus, quid liberis relicturus esset, nihil denique inter mortales æquabile, nihil concors remaneret. Etsi enim aliæ quoq; disciplinæ homines in officio retinere, & effrenatos animorum motus in rationis gyrum, ne sibi nimium præfidant, deducere possunt, quo nomine & discendæ & exercendæ sunt diligentissimè & subtilissimè: Nulla tamen ex omnibus disciplinis tantâ animadversione vitium pellit, crimina punit, turpitudinem fugat, injuriam propulsat, & effrenes hominum mentes cohibet, quàm quæ Iehovæ est alumna, Reip. ancilla, & rerum humanarum domina. quæ sapientiam docet, ut cognoscamus res pulchras, honestas, justas: quæ prudentiam confert, ut ex præteritis præsentia ordinare & futura præsentiscere possimus. In summa, jurisprudentia modum tradit, quo humana natura virtuti adsuescat & vitijs purgetur: & ideo duo capita conservandæ humanæ felicitatis continet, pœnam & præmia. Nihil enim prius nihilq; antiquius habet, quàm ut suum cuique justo æqualitatis decreto tribuatur, & eum qui alteri suum detrahit, & cum eius incommodo suum vult augere commodum, coerceat, tollatq; è medio, ut alij à maleficio pœnæ magnitudine absterreantur. Nihil autem augustius habet quàm ut sui h. e. justiciæ jurisq; cultores honore ornati præmijsq; donati vigeant floreantq;. Hinc igitur rectè sanctas appellamus leges: salva namque & immunia earum præsidio cuncta tenentur, & nisi aliquam artem æqualitatis justæ tuendæ & servandæ adjunctam habeant, nec utiles diu, nec salutares esse possunt. Summa ergo & hæc est juris dignitas, suos quod cultores maximis honoribus dignatur, atque inde Iurisconsulti, qui se legalibus ornamentis instruunt, sacerdotes, h. e. sacram dotem exhibentes appellatos quidam autumant, quando nempe artem illi æqui & boni profitentur rectè, & veram non simulatam Philosophiam re, actu, moribus, affectant. Sed tamen si deest Rectoribus integer vigor & justa conscientia, hominis culpa est, non seculi. Cùm porrò Iurisprudentia ex rationis vi & Philosophiæ medullis producta delibataq; sit, rectè admonemur, Vt ejus genuinam cum omnium artium disciplinis cognationem agnoscamus, & agnitam veneremur, ejusq; majestatem rei literariæ sic conterminam vicinamq; esse advertamus, ut nisi Iureconsultus bonus sit vir, artem boni æqui nondum didicerit rectè: nisi dicendi artes exercuerit, nec animam nec linguam eruditam habere videatur. Nisi denique naturæ cujusq; rei vim cognoverit,

gnoverit, in casuum decisione, in veritatis disquisitione sæpenumero eum hallucinari & errare continget. Certè quæ in literis prodita habemus, ea in lucem sine opera hominum, tum literarum humanitate celebratissimorum, tum usu & experientiâ exercitatissimorum producta, non sunt: Alienâ operâ uti liceret commodè, nobismet ipsi si modò deesse nollemus. Qui hæc invenerunt, visi sunt videre plurima, quæ in gubernatione utilia sunt. Atq; in vita communi cæcutire, quàm videre: sapere quàm errare, quis tàm parum cogitans est, qui malit? puto fore neminem. Nec verò legitimo modo exerceri potest, nisi artium linguarumq; necessaria cognitio accesserit. Sed dic, quæso, qui fieri potest, ut cognitio rei præclarissimæ sine labore detur: Stulti viri est hoc optare. Quid usus absq; arte? res incerta. quid ars absq; natura? res manca quid scientia absq; exercitio? res imperfecta. Itaq; ne incertis agitemur, ne manca & imperfecta scrutemur, sed certo adminiculo confirmemur, magnâ arte opus est. Quis enim ex tot difficultatum ac subtilitatum Labyrinthis se expediret, nisi Ariadnes filum secutus fuerit, Atq; hoc filum est rectæ rationis lumen, Dialecticis præceptis propositum. Sed quid ratiocinatio absq; sermone? quid sermo, nisi recti sermonis ratio, h. e. Grammaticæ cognitio constet. & quantò deinde elegantiùs, quantò venustiùs sensa animi explicaveris, tantò plus ponderis aculeos relinquens oratio habitura est. Quamobrem sapientissimo ac gravissimo consilio veteres Iurisconsulti rerum Philosophicarum cognitionem: ut prius fontes quàm rivuli perspicerentur; prius divini quàm humani juris formulæ concinnâ cum brevitate proponerentur: prius animæ quàm linguæ erudirentur, cum hac arte conjunxerunt. Planè tanta difficultas in cognitione rerum sibi comparandâ non est, quanta in actionum consiliorumq; moderatione: illa, quippè ingenij bonitate & diligentia acquiri potest: hæc non nisi ex usu rerum longo, ex periculis proprijs alienisq; comparatur, Nam vel ætas humorum agitatione immatura & præpedita, vel fortunæ secundioris aura, umbras rerum dum illa sequitur, hæc sui secura est tenebras offundit, cernereq; verum non admittit. Exempla docent, quid in præceptis sit verum, quid tutum. ut nisi historiam mundi vitasq; regum & Principum quis cognorit; & mentem hominum intelligere, destitutus civili sapientiâ, nequit; & consilia ad res accommodare, casusq; providere, causas fortuitorum ignorans, haud potest unquam. Atquin Remp.

qui vo-

qui volet regere, mentem is suam velut ducem habeat necesse est, cujus auspicio cuncta rectè peragat, quæve suggeret, facto quid opus sit. Si jam illa inanis est & vacua, tinnitum edet quidem, sed facilè & sui indicio ne frangatur, prodatur, & corrumpatur, subverendum est maximè. Animi ergò rectè instruendi prima cura habenda est, ne cupiditate agatur, infelicitatis quæ est radix & initium: ne ambitione rapiatur, quæ fidem, sanctiss. humani pectoris bonum, corrumpit violenter: ne libidine angatur, hominem quæ immutat, facitq; sui non esse compotem. Voluntas deinde in politico viro sit constans, ne quovis vento adversitatis, ne ve quavis opinione falsitatis agitetur, nec se gratiâ inflecti, pecuniâ corrumpi, odio ab instituto dejci patiatur: Perpetuaq; ea sit voluntas, certo consilio animum inducta, ne fortunæ non virtuti; tempori non veritati, mancipatus videatur: mutetq; cum tempore mores, cum fortuna animum; quod minimè justitiæ ministro convenire videtur. Vtpote quæ tum probat, quid verum, quid falsum in præceptis sit: tum ostendit virum, ejusq; mores. an animo percepta factis exprimere velit, Ex sententia ergò Philosophorum, Iurisconsultum verum ac legitimum fatebimur eum, cujus animus ab inordinatarum affectionum fluctuationibus liber sit, qui morum gravitate, fidei ponderе, vitæ dexteritate polleat, qui nihil aliud dicat, aut faciat, quàm quod juri scripto consuetudinarioq; consonum esse comperit, ab honestatis regula culmum latum non declinet: sed ad æquum & bonum, velut ad gnomonem, omnia dicenda faciendave dirigat, & ita se comparet, ut quàm minimis egeat: inprimis verò caveat à πλεονεξίας vitio, ut adeptis necessarijs, & quibus egestatis inopia propellitur, acquiescat. Sic suum laborem non metietur lucro, sic pacis studio lites, quantumvis lucrosa compendia afferentes, declinabit. Sic ejus domus publicæ honestatis officina, & ipsius præsentia ipsum justiciæ exercitium erit. Hæ sunt legitimi ac veri jurisconsulti veræ ac legitimæ divitiæ, quas adeptus nullo nummario pretio dehonestari patietur. Itaq; ille intelligit vulgatam illam, quæ per manus traditur, cæterùm egregiam Imp. sententiam: Leges non permittunt, ut quis in paupertate vivat, & in anxietate moriatur. Spem quippe diligentiæ; rem labori intentiori largiri solent amplissimam. Ille erit καινὸν ἀγαθὸν, in cujus sinu totius Reip. salus rectissimè conquiescat. Sed perfectum, reperisse voti magis quàm præcepti opus est:

Attamen

Attamen in secundis & tertijs virtutis gradibus consistere pulchrum est, quibus non licet in primo gradu stare Nusquam sane gentium potest reperiri, qui semper & ubiq; possit approbari. Enitendũ tamẽ est, ut si perfecta in nobis virtus non est, ejus significatio saltem morum sanctimoniâ vitæq; innocentiâ appareat, ne scilicet fœdis moribus res sanctissima corrumpatur. Quid prodest foris esse strenuum, si domi malè vivatur? Quid prodest variarum rerum scientia, si vitæ decus, si morum integritas à foro, à curia, à subsellijs exulet. Quid juvat justiciæ nomen usurpare si quod ea præcipit, quod jubet, ne digito quidem attigeris. O tempora, ô mores, o prava hominum instituta! ubi ferè gentium tales reperiemus Iureconsultos, qui veri sint juris cultores, justitiæq; ministri. Quin potius plerosq; ambitione, avaritiâ, & cupiditate ab officio discessisse videas, doleas, & quasi de industria malè agere conspicias. Sed qui sic agere instituunt, malè sibi consulunt, malè suæ dignitati prospiciunt, malè sibi suisq; exitium attrahunt. Optimos & præstantissimos jurecconsultos à gradu dignitatis delapsos in maximus calamitates incidisse accepimus, tum quia res secundæ etjam prudentissimos turbant, cæcosq; efficiunt; tum quia virtutis eminentis comes est invidia, qnæ eminentia dejcere, recta projcere, & justa in clades conijcere gaudet, ut vel seditiosis actionibus se immisceant & pereant: vel peccatis occultis mala plurima sibi attrahant. Varios ergo casus Iureconsultorum, & eorum, qui Reip. primas partes obtinuerunt, legimus, quos tamen plerosq; tyrannis perdidit, dum corruptis deperditorum Impp. moribus, studijs, & institutis accedere nollent. Cajus Cassius à Cæsare in exsilium pulsus est. Vlpianus cum ignominia ab Heliogabalo dignitate remotus. Martianus à Didio Iuliano interfectus est. Alter ex duobus posterioribus Sabinis, incertum utrum patèr vel filius, Heliogaboli mandato, in tumultu populi fuste percussus & in publico relictus est: Quid nominem Papinianum? quem historiæ juris asylum vocant, & cujus Imp. Iustin. sine honoris præfatione vel raro vel nunquam meminit: Is cùm in aula principis plus potens esset, quàm vellet: & nocituram aliquando potentiam deponere sæpè conaretur, tandem ab Antonio Caracalla, cujus parricidium facilius commissum quàm excusari posse dixit, militum gladijs obiectus, & securi percussus obijt. Præclarum optimi Iureconsulti exemplum, qui justitiæ potiorem quàm gratiæ rationem habuit: veritati plus quam majesta-

majestati Principis tribuendum censuit, & morte innocentiam vitæ contestari, quàm vitam prælustri cum dignitate agere maluit. O decus quantum! O exemplum rarum! O plerisq; stupendum alijsque etjam imitandum factum! Atque quod de Rhadamantho scribit Pind. in Pythijs Od. 2. id de nostro Papiniano affirmare possumus. Ευπέπραγεν, ὅτι φρένων ἔλαχε κάρπον ἀμώμυτον, οὐδ' ἀπάταισι θυμὸν τέρπεται ἐνδόθεν. h. e. Feliciter egit, quia mentis fructum inculpabilem adeptus est, nec animum dolis oblectabat in sinu ridens. Sic ergo videmus, quod legalis Philosophia ad animi tranquillitatem, & ad virtutis dignitatem, atq; ad conscientiæ libertatem prosit plurimùm, conducat egregiè, conferat maxime. In cæteris id intueamur, dignitatum ac divitiarum molem verè molem esse, & sui possessores si solidis virtutis & justiciæ fundamentis non subnitantur, varijs fortunæ telis expositos, tantò plus detrimenti accipere, quantò plus momenti in ijs rebus caducis collocarunt. Nec posteris magnorum & celebrium politicorum opes accumulatæ prosunt, solæ si relictæ fuerint; nec liberis bona simul educatio & recta ad virtutem adsuefactio data sit. Imo magnæ divitiæ multis sunt exitio, quod ijs rectè uti nesciunt; multis ad mala incitamento sunt, quod ijs abuti instituunt: Sola virtutis possessio est firma & permanens: Solæ illæ opes cum justicia & bona conscientia congestæ sufficiunt. Itaq; constat cum prudentia & modestia temperandam esse fortunæ secundiorem auram, cum justiciæ laude conservandam vitæ dignitatem: cum bona conscientia habendam esse opulentiam. Quid vero dicemus de his, quantum à veri Iurisconsulti laude distent, qui hoc fine Iurisprudentiam discunt, ut infelices divitias congerant, qui id student, ut opes in justiciæ officina accumulent, qui solum quæstum, non discentium profectum, qui non civium suorumq; clientum salutem, sed suam respiciunt utilitatem, non quàm honestum, sed quàm lucrosum sit factum quod defendendum suscipiunt. Hi profanant, crede mihi, legalis scientiæ sanctitatem, hi rem præclaram conspurcant, hi rem admiratione omnium dignam dicterijs convicijsq; omnium onerant. O pestes certæ hominum! O farrago malorum! O pecuniæ mancipia! Sed enim quis tam parum subducta ratione sapit, tam parum de se cogitat, qui vitia hominum rebus ipsis ascribi debere putet, cùm id iniquum pariter & indignum videatur. Tollatur abusus, & res in integro erit: Leges aliud postulant, aliud mores ho-

minum esse sinunt, quos ad illas retulisse satiùs quàm his illas obsequi. Id fixum firmum maneat, juris professio debet esse liberalis, non trahi ad turpe compendium stipemque deformem, & hæc pecuniæ cupiditas fugienda est viro politico summopere: quippe fidem, probitatem cæteràsq; artes subvertit, ut dum justiciæ contraria opera exercet, Nemesin in se, omnesque diras, deprecationes convertat. Talem ergo Iurisconsultum leges exoptant, qui didicit odio habere calumniatores, qui non assumit patrocinium contra bonos, neque frustrans clientes captiosis dilationibus judicij cursum remoratur: Qui sic animatus est, bonum publicum rectè appellabitur, in cujus fide, integritate ac virtute non modo clientes, sed ipsa adeo Resp. tutò acquiescere possit. Bono quippe viro salus civium & longa sui memoria carissima sunt, & est velut adamantinum quoddam signaculum, & inviolabilem figuram sui semper custodit characteris, universa quæ incurrerint sibi, ad qualitatem sui status consignans atq; transformans. Talis fuit Papinianus Iureconsultus, qui justitiæ majorem quàm suæ vitæ rationem habuit, & cujus mens sacris justiciæ præceptis erat imbuta, suam ille linguam venalem in turpi caussa esse noluit. O præclarum institutum! O imitatione omnium dignissimum! Ciceronis honesta est oratio, ab honestissima sententia digitum nusquam discedas. Sed reipsa hoc facere, hoc opus, hic labor est. Pauci enim Politici C. Fabritij laudem assequuntur, de quo Eutrop. lib. 3. ita scribit. Ille est Fabricius qui difficilius ab honestate quàm sol à cursu suo averti potuit. Et Livium Salinatorem constantis & prævalidi ingenij fuisse accepimus, qui neq; tristi judiciorum exitu compelli, neq; honorum magnitudine adduci potuit, quò se blandiorem in administratione Reip. gereret. O pulchra item vox Plutarchi! Ego sanè homines dicere mallem de me, Plutarchum nunquam esse natum neq; existere, quàm dicere, Plutarchus homo est inconstans, mutabilis, pronus in iram, pro rebus levibus pœnas infligit, pro rebus parvis contristatur: Qui hanc artem, hanc animi inductionem præclaram rem esse neget, puto fore neminem. O cæcæ ergò mentes hominum! O pectora cæca! cur non addiscunt tot præceptis traditam, tot exemplorum luminibus accensam artem elegantissimam & maximam. Cur ìd sibi animum non inducunt faciendum, cogitandum, agendum, quod naturæ vim continet, quod laudem adfert, quod dignitatem adjunctam habet tantò præclariorem, quantò hominem inter homines præcellere

cellere & dignius, & pulchrius, & præclarius est. Certè in alijs rebus usu venire videmus, quod ignarus rerum labatur, erret & decipiatur facilè; at inter doctos error non est. Quid ergo de Politicis viris, de Iureconsultis Rerump. rectoribus dicemus, quanta requiritur in ijs variarum rerum scientia, ne quid eos lateat? quanta prudentia, ne quid fugiat? quanta denique sapientia desideratur, ne quid temere ijs obrepat unquã, ut diceré cogantur NON PVTARAM, quod sapientis non est. Et quomodo Iureconsultus seu Politicus sui instituti certam & subductam rationem tenere poterit, nisi mentem voluntati, & voluntatem menti, certâ virtutis harmoniâ, consentientem habuit, & in animo simulachrum quasi virtutis & pietatis non effecerit. Profundum necesse est ille sulcum in pectore suo duxerit, ex quo germen optimorum consiliorum & semen præclarissimarum actionum provenire debet, quæ toti vitæ, adeoq; societati humani generis prosint & conducant. Quæ enim res alia tantam in Rebuspub. ἀταξίαν parit, quàm quod quibusvis & plerunque ijs, qui omnino bonarum literarum sunt ignari, juris ac justiciæ exercitium committitur. Quamobrem facile evenit, ut dum nesciunt, quid pium, quid decorum, quid utile pro rei qualitate & natura sit, non modò manus eorum labe vilissimarum rerum fœdentur: verum animi quoque, tum concipiendis, tum perpetrandis sceleribus inquinentur. Alij verò eò malitiæ procedunt, ut licet maximè, quæ decent, cognorint, tamen facere nolint, præmiumq; putent, si recta prava faciant. Quantò ergo malis eruditio major, majorq; mentis solertia contigit, tantò Reip. majus & pernicioſius malum accidit. Suis enim instrumentis virtutem, Remp. adeoque communem salutem oppugnant & expugnant, repugnantq; rationi rectæ, dum eam falsò ac sophisticè simplicioribus demonstrare conantur.

Deinde magna cautio in hac re politico viro adhibenda est, ne quid sine Deo feliciter agere, sine virtute perficere, sine occasione aggredi occipiat: ab uno hæc omnia quidem pendent & concedunter, sed dum suam ille opt. max. dat gratiam, cæteris rebus veluti mediis suam vim non derogat. Nam inclita etjam virtus & præclara eruditio si à Deo relinquatur, tenebras ejusmodi obiectas habet, ut nullo se explicare modo possit. Atq; si quis sine labore iners divinum expectet auxilium, næ ille miser & demens. Quare rectè monemur, manum admoventi fortunam invocandam esse.

Nulla enim sine DEO mens honesta est: Et quod ipsa veritas filius DEI adserit, Habenti dabitur, id latius patet. Nam si quis tale animo suo inducat propositum ut nihil dicat vel faciat, quod sit à lege divina, à virtutis studio, ab honestatis regula alienum, ejus non solum mentem divinæ gratiæ cura confirmat, sed cumulus etjam quasi virtutum, in felicitate rerum & tranquiilitate animi accedit & animum opplet. Ideoq; & Homerus auctor est Iliad. ϟ. apud Græcos moris fuisse sic vota facere benè meritò: σὶ δὲ θέοι δῶν δ' ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν. h. e. Tibi verò dij ob hæc gratiam expectatione dignam dent. Quapropter cum mens nisi divina ope suffulta non sapiat, nec felix homo ullus sine Deo sit; non est quod suæ homo velit confidere prudentiæ: quin potius se humiliet sub potenti manu Dei. Et quoniam vices variæ alternæq; sunt rerum humanarum, nulla tam prudens est consilij ratio, quæ casum non contineat, nulla tam solers provisio, quæ fortunæ vim non sentiat, nulla deniq; tanta efficiendi facultas, quæ ad infirmitatis humanæ exemplum non pertineat. Quocirca prudens vir leges potius Reipub. præesse volet, quarum certa est ratio & auctoritas, quàm hominem, cujus mutabilis & ambulatoria est voluntas.

Quandoquidem verò multa sæpè inopinatò mala tum fatali quadam destinatione, tum civili hominum dissensione in Rep. accidunt, operæpretium est cognovisse rationes, tum avertendi, tum declinandi mali publici.

Id usus rerum & historiæ veritas docet, maxima Rebusp. mala accidere, si homines adversus Deum ingrati fuerint, si verus Dei cultus negligatur: si veritas verbi divini corrumpatur. majus enim quàm est læsæ divinæ majestatis crimen aliud non agnoscitur. Itaq; vir politicus id curet diligenter, id agat sedulò, id promoveat accurate, ut veritas christianæ religionis in fide, & simplicitatis conservetur. In fide, ut pietatis fructus arguere possit, non opinione sed re ipsa Deo addictos esse homines, quos baptismus initiavit, quos sacrarum literarum auctoritas confirmavit, quos deniq; communicatio corporis & sanguinis Iesu Christi Deo ad animæ sanctitatem & salutem, ad fidei in merita Christi confirmationem, & præsentiæ divinæ obsignationem copulavit. Sed disquisitiones inanes ac disputationes de rebus divinis & occultis non facilè admittat, ne scilicet, quod cœlestis veritas revelavit, humanæ rationis infirmitas, dum intelligere nequit,

nequit, corrumpat, & quod æternæ vitæ medium est propositum, vitæ scandalum & æternæ condemnationis instrumentum incredulitate hominum efficiatur. Quaproprer per certos homines, quos vitæ sanctitas, præclara eruditio & rerum experientia commendat, docendus est populus, sic de Deo ejusq; beneficijs sentiendum, ut se in suo verbo manifestavit. Cum enim cogitatio mentis humanæ nihil ad divinæ majestatis consilia, & ejus perinde ut guttulæ ad immensum maris sit comparatio, hominum traditiones, nisi in externis & adiaphoris rebus admitti non debent, & ea tamen cum cautione, ne contrariæ sint divinitus revelatæ veritati. Quæ porrò hujus sanctissimæ rei veræ de Deo agnitionis, pietatis & animi tranquillitatis consequendæ sunt instrumenta, scholas publicas haud neglexerit politicus instituere, & sartas tectas sic conservare, ut qui docent alimenta sufficientia habeant, & non nisi de auctoritate & sententia seniorum doceant. Nam id videndum est diligenter, ut boni publici non lucri caussa ex fide bona Præceptores suos erudiant discipulos, & potiùs bonos viros quàm disciplinis eruditos efficiant. quippe morum integritas omni artis elegantia præstantior censetur. Et consilium est, ut ut cum duo maximè curanda sint in Rep. viro Principi, domi concordia, foris in bellis fortitudo, & utrobiq; prudentia; ad has ipsas artes ritè colendas juvenes edoceantur. Concordiæ summum bonum servabitur inter homines facilè, si sui moderandi rationem homo didicerit, ut alijs multum, sibi nihil indulgeat: si parvo contentus alieno abstineat, & sui officij curam diligenti operà suscipiat & perficiat, Deum & legum auctoritatem secutus. Dic sodes, quotus quisque reperietur, qui in tanta delinquendi occasione, si animo ex ex assuetudine ingenerata vis justiciæ non aliud suggerat; non ex corruptis inclinationibus, potius quàm ritè constitutis legibus respondebit? Quippe ut tempestatum terrarumq;, sic judicum incerta & fallacia plerumq; sunt ingenia, teste Plinio. Et ut maximè quis tam constans esse videatur, ut ablegatis affectibus ex sola æquitate judicare cupiat; semper tamen permanebit apud condemnatum suspectus, quod vel odio, vel favore sententiam tulerit. At ubi lex dominatur, ibi nullum est odium, nulla cupiditas, nullum personarum discrimen: Sed certa justiciæ regula, æquitatis directa norma, judicijq; ferendi certa forma, ut qui eam secutus fuerit, nec labi, nec errare possit unquam. Ergo rectè jubent, qui præcipiunt ex legum præscripto

controversias dirimi debere. Nam qui legem præficit, Deum & rationem vult præesse, sed qui hominem præficit, addit ei beluam, videlicet cupiditatem & iracundiam, quæ prudentissimum etjam in diversa partes rapiunt. sicut enim flamma continuè movetur, ita cujusdam flammæ more affectus. hic in anima excitus non sinit eum quiescere. Quemadmodum ergo sal carnes constipando non patitur dissipari: ita animum hominis, quem vel adolescentiæ impetus, vel principatus potentia huc illuc impellit, veritatis coercet oratio. Itaq; nec præclarius cujusquam est opus quàm justitiæ veræq; sapientiæ vim legesq; sequi & intelligere: nec pulchrius hominis decus, quàm regale imperium, quò se suosq; affectus intra septum rationis contineat, in animo constituere suo. Hanc ut vobis mihiq; Deus Opt. Max. felicitatem benignè largiatur, devotissimè precor & exopto.

D I X I.

ORATIO
Secunda.

DE LAVDIBVS ANNAE SOPHIAE Borussæ, &c.

QVanquam hoc dicendi argumentum, Illustriss. Princeps, Magnifice Domine Rector, Reverendissimi ac Clarissimi viri, Ornatissimi adolescentes, Concio amplissima, quod nunc suscepi, alij, longè me doctiores atque eloquentiores, longè etjam præclarius, elegantius atque venustius pertractarunt, quàm ego illud cogitare, nedum perficere possem; tamen cum mediocris conatus in re honesta vitio verti non soleat, tum si causas, quæ me moverunt, exactius cognoveritis, haud me reprehensione quadam, sed vestra potius collaudatione, ut spero, dignum existimabitis. Et id non sine gravi caussa initio mox subijcio. quippe novi delicata quorundam ingenia, & simul repentina, licet non

æquè

æquè matura judicia, qui nihil probant nihilq; collaudant, nisi vel à se profectum, vel sui demùm imitatione elaboratum sit. Sed enim, dum hæc dico, nihilomagis ὑπωπίασμον eorum effugero: bonis tamen & honestis viris satisfecero, atque id plus satis, & virtuti consentaneum censemus; memoria repetentes, facile & cujusvis esse, præsentia carpere & calumniari: sed aliud & quidem melius reponere, omnimodo operosum

Causæ autem, quæ me potissimùm commoverunt, ut de Illustrissimæ Heroinæ ANNÆ SOPHIÆ Illust: Principum ac Dominorum, Dn. IOHANNIS, & Dn. SIGISMVNDI AVGVSTI Ducum, Megapolens. almæ Matris laudibus dicerem, partim propriæ, partim commnnes sunt. Et quidem cum jam diu non studijs literarum duntaxat liberaliter in hac regione, visis item alijs locis, abhinc annos ferè 17 institutus sim, & suo tempore honores meruerim, sed & loci hujus oportunitate, ob concordiam in causâ Religionis & justiciæ singularem disciplinam, adductus, sedem fortunarum hic Rostochij posuerim, proprium grati animi existimabam esse, si, qui rudimenta vitæ literariæ, communi Principum Megapolensium beneficio in hac alma schola omnibus exteris dato, accepi; aliquod item gratitudinis exemplum, si non alio modo possem, saltem justæ illustrissimæ Principis laudationis meditatione ederem. namque quod ab ingenuo pectore proficiscitur, etsi vile, etsi minimi pretij officium sit, animi tamen æstimatione magnis & præclaris viris probari solet. Quicquid enim benemeritis honestatis accedit, id solutum magis videtur esse quàm præstitutum. Deinde cùm de alijs rebus apud vos dicere soleam, non video quod magis commodum magisq; proprium huic tempori, quo in prælectione historiarum corruptæ naturæ humanæ fragilitatem meditamur, argumentum offerri posset communis hominum sortis in omni publicâ simul & privatâ domo demonstrandæ, & virtutis laude exsuperandæ, quàm si arrepta præsenti occasione id testarer esse perpetuum; Mortem omnibus æquè propositam, sed eam pijs transitum & portum esse quietis & æternæ tranquillitatis: malis verò & impijs perpetui cruciatus principium & exitij nunquam desituri horrorem. Cæterùm quas communes appellabam causas, hæ latiùs patent. Quis tam est stupidus? quis tam parum de se cogitans? qui etsi remotissimus ab oris patriæ suæ, tamen dulcissimam ejus non retineat memoriam & eorum Principum, qui eam rexerunt laudabiliter?

Hujus

Hujus item rei non intempestiva erit commemoratio, ubi Heroinæ ANNÆ SOPHIÆ consanguineos enumeraverimus. Itaq; occasio collaudandæ vitam & mores Illustrissimæ Principis, non levia rerum momenta, & memoriam rerum, non quidem abstrusarum, cognitu tamen necessariarum retexet. nec peribit oratio, si facilem & benignum auditum pro vestra humanitate & morum eleganti suavitate mihi præbueritis, idq; ut faciatis, etjam atq; etjam rogo, & ita fore plane spero. Quippe alij, etsi non æquè felici ingenio quid proponenti, benignas cum æquanimitate præbuisse aures, viri & amantis eloquentiæ & sua communicare volentis est.

Quàm præstans, felix & præclarum gentis & familiæ decus sit, quàm optabile multis, sed non item communicabile, quàm denique columen patriæ saluberrimum, ex unà certâ familiâ principes bonos, justos, pios, fortes nasci, & certâ ac perpetuâ serie censeri, quis intelligit verè? nisi qui Barbarorum imperia interius inspexerit? ubi cùm ordo absit, confusa & incerta, cædibus & seditionibus expositа videmus omnia. Quis, inquam, hoc præclarum decus intelligit? nisi qui extremo miser infortunio premitur, à patria, à laribus exsul, incertâ sede vagans. Dum enim Principes terræ rebus non præsunt, sed alienigenæ rerum potiuntur, suo non subditorum commodo cuncta æstimantes, certè misera est Reip. facies. Deinde capite obtruncato, nullum membrum suum facit officium. Atque nullam Reipub. partem, sci posquàm fundamento & sustentaculo Principe scilicet & lege destituta est, consistere posse res ipsa docet. Felices ergò quibus sui nascuntur reges & Principes, qui patrijs institutis justiciæq; præceptis rectè instituti, exemplum virtutis sese subditis ad obsequendum, & exteris populis ad imitandum proponunt. Est quidem & altera eligendi Reges ac Principes ratio non improbanda, sed diversis Magnatum studijs, vel potius aucupijs rescissa, æquè commoda haud sæpenumerò esse solet. Agnoscimus ergo singulare decus huic terræ Megapolens. datum & divinitùs conservatum, quod ipsa regio à multis jam retrò annorum seculis suos sibi procrearit Principes, eosq; virtutis ac justiciæ administros Duces viderit, foverit, & deinceps quoque celebres alios, ex eadem gente fore felicissimis auspicijs promittit, quo nomine vota merito omnes concipimus maxima. Namq; à principum Megapolitanorum salu-

te, ve-

te, velut filo statum hujus regionis tranquillum & florentem pendere, nullus dubito.

Quandoquidem verò in magnis principibus, quos DEus in summo rerum fastigio collocavit, insit divina quædam Majestatis vis, quocirca & à divino Homero διοτρεφεις à Iove enutriti appellantur: haud abs re est, quod Principes magni è præclaris magnorum Principum familijs sibi uxores adsciscunt, ut fortes procreentur fortibus & bonis, & dum illustres fœminæ familiæ suæ fiunt capita, mixto utriusq; familiæ honore, ordo dignitatum conservetur, & majestatis honor liberis seu posteris velut ingeneretur. Hoc ergò consilio Illustriss. ac sapientissimus Princeps ac Dominus, Dominus IOHANNES ALBERTVS piæ & sanctæ memoriæ ANNAM SOPHIAM uxorem sibi duxit, natam ex illo magno, &, ut uno verbo multa complectar, de Ecclesia Christi & tota Rep. sua benè merito heroe, Illustrissimo Principe ac domino, Domino ALBERTO Marchione Brandeburgensi duce Borussiæ &c. optimi patris suavissimam & ornatissimam filiam. Et quæ spes Principis laudatissimi IOHANNIS ALBERTI fuit, ducendæ uxoris causa, ut sui corporis animiq; imaginem videret, & in quibus adolescentibus alter ipse nasceretur, ea Celss: suam non fefellit. Vidit ille pueros, adolescentes, & eorum indole præclarâ plurimum delectatus est, quos nostra ætas viros Principes omni virtutum genere præstantes, & alterum quidem rerum summas tenentem cernit, vitæ Christianæ morumq; elegantiæ, virtutis ac justiciæ vivum & verum exemplar.

Quemadmodum ergò justiciæ major, quàm aliarum dicitur laus esse virtutum, quod illa omnia sua extra se & in aliorum utilitatem profert; cæteræ virtutes, in eo, in quo sunt, subjecto laudabiles existunt: Sic planè inter cæteras Magapolensium Principum conjuges heroinas & laudatissimè sexus fœminei virtutibus ornatas ANNA SOPHIA piè defuncta, mater illustrissimorum Principum Dn. IOANNIS & SIGISMVNDI AVGVSTI, palmam singularis memoriæ obtinet. Quid enim generis splendor? quid divitiæ? quid formæ pulchritudo subditis conferunt? privata hæc principalis decoris, vel cujusq; alius bona sunt, intra aulam & in amore magni sæpe momenti res, cæteroquin infrugifera; nec enim caput familiæ constituunt, nec subditis inde quicquam emolumenti in sui præsidium & defensionem facilè accedit. Quid verò Principe bono & rectè instituto

tuto suavius? quid salutarius? quid optabilius? nihil sanè nos fatebimur, quibus non obscurum est, quod DEVS Opt. Max. Principem bonum & pacificum dare soleat, quando cuidam terræ benefacere vult; contra si punire instituit populum, bonos aufert, malos eis substituit, ut malum pœnæ agnoscamus esse malum Principem. Atquin ANNA SOPHIA, non Principes solùm huic terræ suavissimos & optimos peperit, sed &, Deo feliciter prosperante, eosdem felici omine nutricationis legitimæ patres patriæ, sacerdotes justiciæ, DEI vices gerentes reliquit, qui perpetua quoque serie liberos DEum verum agnoscentes deinceps Ecclesiæ Christi procreaturi & relicturi sint, prolem inprimis masculam, quæ facta parentum

Augeat, & circa stet veneranda senem.

Quos ergò pientissima heroina matrimonij sui fructus à Deo Opt. Max. consecuta est uberrimos, eosdem cum suis subditis, alijsq; qui horum locorum scholis & studijs fruuntur, communicavit, perpetuam sibi ἐν ἀφθαρσίᾳ diuturnitatis memoriam in omne ævum duraturam relinquens, ut meritò eo nomine ab incolis hujus regionis adamata fuerit, & jam omni studio, observantia & honore, qui piè mortuis Principibus exhiberi posset, celebretur.

Hoc in nostra heroina, quia aliter vulgò fieri videmus, inter cætera sui sexus elegantissima munia, item commendatione dignum est, quod non pulchritudinis, quæ eximia fuit: non valetudinis: non adversantis sæpe morbi ullam, sed suæ sobolis, velut boni publici, majorem rationem habuerit, eamque suis proprijs uberibus lactare voluerit. O verè mater; reliquum dimidiatum est genus matrum atque imperfectum, quod statim atq; pepererunt, abs sese partum abjiciunt, & nutrici sæpe satis infeliciter & non pudicæ committunt.

Quid ergò mirum, quod optimi Principes, fratres, suæ charissimæ matris, pie utiq; defunctæ & in bona senectute, mortem tam acerbè lugent, tamve familiariter deflent! integra enim cordis finceri vis in eos unà cum lacte instillata & penè ingenerata est; & cujus suavissimi vultus conspectum nisi sæpissimè vidissent, moram ferre nesciebant, ejus jam exuvias, ut par est, regali planè pompâ ponè charissimum ac illustrissimum suum patrem deponunt, animæ sacratæ atque beatæ vas meritò honorandum.

Nec

Nec verò illustrissima hæc heroina, quæ boni communis prolis masculæ tam studiosa mater, tam singularis nutrix, tam diligens teneræ ætatis custos & togæ sumptæ collaudatrix fuit, alias virtutes, sexu fœmineo dignas, minus habuit, quin cuicunq; etjam principali fœminæ comparari posset.

Ait Imperator Iustinianus castitatis observationem Illustris fœminæ præcipuum esse debitum, eam illustriss: nostra heroina tam studiosè coluit, ut virgo nihil ipsa de suis nuptijs cogitare, nedum statuere voluerit, illud Hermionis Euripideæ in ore habens & testata, cumprimùm de nuptijs Ducis IOANNIS ALBERTI mentio subijceretur: Sponsalium meorum curam parens meus Illustriss. habebit, Deo cuncta, pro sua providentia dirigente, non est mei pudoris virginalis de ijs rebus solicitam esse.

Et postquam suum dulcissimum maritum Principem, Dominum IOANNEM ALBERTVM, patrem patriæ, qui in benedictione requiescit, fatalis dies abstùlisset, vidua præcipuum castitatis exemplum edidit, ut non ineleganter in eam quadrent hi versiculi:

Vt turtur obitum comparis luget suæ
Viduo recumbens nidulo,
Quo solus in squalore tristi combibit
Lachrymas profusas largiùs,
Non potus undæ gratus huic est limpidæ
Sed imbre reddit turbidam,
Longumq; cunctis gaudijs dicit vale,
Annos sine socia exigens.
Sic flens maritum fida conjunx optimum
ANNA SOPHIA viduo lectulo,
Raptos amores quæritur, ignes & suos,
Cumq; his adempta gaudia.
Pullaq; veste induta mœret, seu diem
Phœbus reducit sidera
Cœlo fugans, seu condit hunc sub æquora
Solvens fatigatos boves.

Christus Iesus, salus vitæ, ejus perpetua meditatio fuit; in Christo ergo omnes actiones piè & eleganter ordinavit, in eoq;, determinato sibi fatali tempore, placidè obdormivit.

Quemadmodum porrò cætera omnia, quæ virtutis laudem, vel artis alicujus admirationem habent, casu nequicquam fiunt, sed divinâ gubernante providentia. Sic & præclaras in hac heroina virtutes non fortuitas dicimus, sed partim naturâ, partim assuefactione comparatas. Natura, seu ius sanguinis tacita quadam vi semina virtutum progenerat. quare quos DEVS in sublimi dignitatum fastigio collocatos esse vult, in eis plerunque virtus non expectat annos, sed semina sapientiæ ac virtutum, quemadmodum in animis Heroum, comprehendantur facilius: sic quoque, eadem adhibitâ culturâ, adolescere maturius videmus. Hanc vero Heroinam nostram ex regio sanguine materno satam noviſtis omnes. DOROTHEA enim CHRISTIANI, cujus sancta in benedictione memoria est, ac ELISABETHÆ illius inclytæ heroinæ, magnis nominibus celebratæ soror, ac SOPHIÆ Illustrissimi Principis nostri IOANNIS Ducis conjugis amita fuit, quæ hanc nostram Heroinam ANNAM SOPHIAM suo marito ALBERTO Duci Prussiæ peperit. A matre ergò regios ac verè principales mores atque virtutes, castitatem, modestiam & vitæ elegantiam didicit, quæ vitæ usus & justa educatio postea magis magisq; confirmavit. Effectus ergò arguit suam causam, à qua res est: & quò sexus ipse natura est infirmior, eò virtutes majori laude dignas existimo, si sexum ipsum adsuefactio, & naturam recta ratio superet. Quantum verò momenti bona ac felix institutio contineat, ij norunt, qui omnis humanæ felicitatis eam causam affirmare non dubitant: ne interim dicam, quatenus, qui è splendido genere nati sunt, magnos & sæpè superbos spiritus gerant & insolescant, nisi virtutis cultura adhibita fuerit. Quibus autem tantus sanguinis splendor & claritas non contigit, eos non planè animo dejci, vel conturbari oportet; cum egregia virtus hunc defectum facilè supplere possit. Sed tamen cui utrumq; bonum divinitus simul concessum est, ut & ex familia honorem, & ex sua virtute laudem consequi possit, felicior, meo quidem judicio, esse videtur, maxime si, DEO duce & virtute comite, illud Sthenelei usurpare possit:

Nos patribus longè cupimus præcellere laude.

Quis porrò pater D. ANNÆ SOPHIÆ fuerit, & quæ contigerint memorabilia virtute illius Illustrissimi Ducis, age paulò uberius cognoscamus. ALBERTVS Dux Borussiæ, Princeps fortissimus & pacis amantissimus, tanta suæ virtutis, pietatis, atque fortitudinis

monu-

monumenta reliquit, ut pauca si dicerem, ejus præclarissimas laudes magis obscurare, quàm illustrare, involuere quàm explicare viderer. siquidem non optimus videri, sed esse voluit. Sulcum profundum in pectore consitum gerens suo, veneranda consilia unde pullulabant: idque res ipsius fortiter & præclarè gestæ loquuntur. Nam quod Ducatus Borussiæ pacem pacisq; bona, Religionis veræ cultum, commercij variæq; negociationis rationes, libertatem, familiarum ordines, & alia fortunæ animiq; munera, ac inprimis Academiam benè institutam & dotatam habet & possidet; hæc omnia, post DEVM, nostræ Heroinæ patri Duci ALBERTO accepta ferre cogitur, & post deinde ijs, quos hujus tranquillitatis custodes & curatores habet & reipsa agnoscit: nam tot undiquaq; malis impendentibus, tot rerum Borussiæ felicitati simul insidiantibus, verum multi comperiunt esse illud Poetæ,

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

O beatos Borussos sua si bona nossent. evenit quippe quam plurimis hominibus, ut quæ possident bona, non antè intelligant quàm cum ea amiserunt.

Habuit autem D. ALBERTVS fratrem VVILHELMVM Archiepiscopum Rigensem, Principem ad feliciora fata natum, quàm quibus eum discordia civium, & inanis inferiorum contentio, atque ipsius regionis fatalis infelicitas perfrui sivit. Initia mutatæ in Livonia religionis, felicia fuerunt optimis consilijs; sed postquam inconsulta aliorum temeritas, ambitio & novarum rerum & mutandi status Reip. studium accessit, jam omnia retrò sublapsa referri ceperunt: & hæc miseria, proh dolor, meæ patriæ oblata est, ut cum antea plures de imperio contenderent, jam vix unum certum Principem suum Livonia habeat! Quid dicam de juris & justiciæ administratione, quæ multos jam annos ibi certa non fuit, animis dominantium dissentientibus: stupet animus saltem miserandæ rei cogitatione. En quò discordia cives perduxit miseros! Atque nisi DEVS Opt. Max. mirabili consilio & singulari providentia reliquias Livonici imperij in illustris. Principe ac Domino, Dn. GOTHARDO Duce Curlandiæ & Semigalliæ, patre patriæ & Ecclesiæ nutritio munifico, optimæ memoriæ principe, conservasset, quid nos Livoni essemus? aut quid adhuc in ipso meditullio relicti sumus? raucis vox faucibus hæret. O quàm vos Germani felices. O quàm beati

Megapolenſes, qui ſuorum Principum ſtemmata habent perpetua, & Principes ex ingenua radice progenitos illuſtres, pios & magnanimos. Magna hæc veſtra bona, Germani, Dani, Suevi tantò pretioſius æſtimare & ſummo in honore habere deberetis, quanto Livoniæ, olim item florentiſsimæ, miſeriorem ſtatum inde agnoſcitis, quod certis terrarum Principibus deſtituti fuerunt, uſque dum jugo alienæ dominationis ſubijci cepere. Sed interim cavete feliciores, ne nobis fortunam improbè ſtulteq; exprobretis; varij ſunt caſus rerum humanarum. nobis verò id enitendum cenſeo, ne adverſis rebus deijciamur, aut perturbemur, ſed humanæ conditionis & majorum noſtrorum εὐφρόσυνως memores, omnia æquo animo perferamus: namque jucundius nihil eſt, neque muſicum magis, quàm poſſe hominum maledicta æquo animo perpeti.

Spes item nobis reliqua eſt in bonitate DEI, qui vices noſtras miſeratus, alium & quidem ſtabilem aliquando, ubi ita ſibi complacitum fuerit, Reip. noſtræ ſtatum dabit, ne ſui nominis gloria in iſtis terris, malitiæ & prophanæ religionis tenebris offundatur, & noſtri diuturni gemitus prorſus inanes ſint. Hæc ſpes ſubcreſcit in hoc Illuſtriſsimo, quem videtis, Domino, Dn. VVILHELMO Duce Curlandiæ & Semigalliæ, qui, uti eſt ex Principum Megapolenſium ſanguine materno ſatus: ſic ſuæ cognationis laudem ad ſe quoque pertinere arbitratus, & patriæ ſe ſuæ natum, tam longum & difficile iter ſtudiorum cauſſa ſuſcepit, quàm lucri maximi cauſſa vix mercator ſuſcepiſſet: ſed lucrum hic lucrabitur maximum; animi nempe bonam in veritate & juſticia inſtitutionem, quâ deinceps veluti Deus aliquis, patriæ liberator, religionis conſervator, omnisq; bonæ diſciplinæ publicæ & privatæ auctor exiſtat. nec enim caret augurio res, ejus virtute & fortitudine multos veluti galeâ ſalutis conſervatum iri. Cum ergò optimæ rei felix ſit auſpicium & finis optimus deſtinatus, voti nos compotes fore, omninò ſperamus. Proinde prudenter & rectè juvenis hic Princeps media tantæ rei, tam amplæ, tamque ſalubris, veſtigia tum majorum, tum hodie ſceptra tenentium principum cognatorum & avunculorum ſuorum conſequitur.

Beata es Reſp. Megapolitana, quia tibi præeſt rerum gubernacula tenens Illuſtriſsimus Dn. VDALRICVS Princeps, Dux Megapolitanus, vix cuiquam virtute, magnanimitate, prudentia, conſilio &

lio & rerum usu comparandus; qui nihil prius, nihil potius, nihil antiquius habet, quàm ut in Ecclesia concordia, in Repub. justicia, in singulorum domibus virtutis cura & disciplina vigeat, crescat floreatq́; Namque non prudentes modò justosq́; & bonos virtus præstat in verbis & factis: sed existimationem etjam consequenter & potentiam conciliat. Gratiosus ergo Princeps veram felicitatis rationem tenet & meditatur. Quippe virtute relicta cætera bona nequicquam beatum faciunt: sed enim opes cum sapientia rectè conjunctæ felicem quem statuunt. Huic præstanti Heroi Principi VDALRICO, quemadmodum in gubernatione, ANNÆ SOPHIÆ h. e. gratiæ & sapientiæ filius IOANNES socius adjunctus est, exemplo patrui bona plurima patriæ meditans: sic suæ Reip. administrandæ tam diligentem, tamve subductam habet rationem, ut virtute non solum patris simillimus esse, sed eundem etjam exsuperare velle videatur. Macti bonâ indole & egregiâ virtute Principes Megapolenses. O beatam ANNAM SOPHIAM, quæ talem nobis peperit, & in lucem, id est, in suorum subditorum multorumq́; peregrinorum salutem edidit Principem. Quapropter horum optimorum principum Megapolens. salutis causa meritò εὐχαριστία Deo solvimus, quod nobis eos dedit, eosq́; ut diu salvos & incolumes conservet, itidem ardentibus votis precantes. Magnum sanè decus & ornamentum DEVS & occasio, quæ omnia humana gubernant, huic regioni concesserunt, quod VDALRICO Principi sapientiss. senescenti veluti Nestori & alteri parenti tam feliciter IOANNES Dux adjunctus est, qui & puer senem admirari didicit, & juvenis virtutem ejus sequi instituit, & jam ipse gubernator patriæ constitutus, totius vitæ & gubernationis rectè ac prudenter constituendæ speculum vitæ vivum, floridum suum patruum illustriss. intueri, & ad ejus mores se actusque suos ac consilia dirigere non dubitat.

Hæc ergò summi boni patriæ communiter omnibus relicti jucunda recordatio, & certa illa divinitùs è sacræ scripturæ testimonio communicata sententia: Mortuos in Domino in manibus Dei esse, & summa quiete summoque gaudio perfrui, faciunt næ efficaciter, ut magis Illustriss. heroinæ ANNÆ SOPHIÆ piè defunctæ gratulemur, quàm ut ejus mortem, Ægyptiorum more sine ratione & spe melioris vitæ, lugeamus.

Luctus

Luctus enim nihil ad mortuos pertinet, qui in divinam vitam translati omniq; corporis mole liberati pretiosissima quæq; possident, & ipsum DEVM à facie in faciem intuentur: sed nostram vicem dolemus, quod eorum consuetudine nos destitui, eorumq; consilio, benevolentia & auctoritate carere sentiamus, qui nos præcedunt ex hac ærumnarum valle discedentes. Quin verò si vitæ humanæ rationes exactiùs subduxerimus, magis est ut cum Poeta dicamus:

Qui nascitur lugendus est, propter mala
In quæ venit; contraq; qui doloribus
Solutus ærumnisq; morte tollitur,
Cum gaudio, faustis & ille vocibus
Domo efferendus est.

Quid enim aliud, teste magistrâ vitæ experientiâ, adfert longius vitæ spacium, quàm ut plura mala videamus, tum audiamus, tum etjam perpetremus & patiamur.

Non hic vera quies, non gaudia vera parantur,
Gaudia venturæ sola relicta scholæ.
Felices igitur verè, vereq; beati,
In Domino vitam qui posuere suam.

Et magis piè vix Christianus homo dixisset, quàm ab Æschilo scriptum accepimus:

Non rectè mortales odio mortem prosequuntur,
Quæ maximum est amuletum multorum malorum.

Quare inter tot mala atque pericula publica & privata qui subductam rerum omnium, quàm sint caducæ, fragiles & incertæ, rationem habet, non mage dixerit:

O mors veni nostris certus medicus malis
Qui portus es humanis tempestatibus:

maximè verò hanc vocem ingeminabunt illi,

Magna salutiferi quibus est fiducia CHRISTI,
Quos crucis invictæ signum & confessio munit.

Sed enim & hoc advertendum est, Christianis hominibus longè aliud, quam id Pindarus Ethnicus expresit, evenire solere circa unum quippe malum duo nobis, non mala sed bona Deus reponit, ut mors ingressus vitæ sit melioris, & fidei præmium cœlestis gloria. Matrem Principibus Illustris. mors acerba abstulit è vivis; matrem, amicam, cor unum meritò dolent, lugent, mœrent: Sed mors eam ex

multis

multis angoribus in Paradisum transtulit, ubi patris Celſ. ipſarum IOANNIS ALBERTI conſpectu ſuaviſsimo, colloquijs item ſanctorum patrum & piarum matronarum unà cum ſanctis Angelis perfruimur. Quis luctui amplius locus, niſi felicitatem ei tantam invidere velle videamini? Matrem mors abſtulit, ecce conjugij fœdus feliciter & ex Illuſtri ac potenti gente initi utriq; Principi ſociam & adjutorium vitæ, amicam veram, cor unum, conjugem ſuaviſsimam Iehova reſtituit: & qui fidelis eſt rerum omnium diſpenſator Deus, ſenem VLDARICVM optimum Principem, ſanum, vegetum, prudentem, magnæq; auctoritatis & ſententiæ Ducem Principibus junioribus conſervat, & conſervabit omnium votis diutiſsimè: Et nuptiæ atque adfinitates junctæ cum Illuſtriſsimis Principibus ac Dominis, Dn. Ducibus Holſatiæ & Pomeraniæ, optimorum item conſiliorum Syncraſis & firmæ amicitiæ ſtabilimenta ſunt. Non ego dicam de Ducum Pomeraniæ ſapientiâ, virtute, felici gubernatione & ſummis tranquillæ, quam ſubditis dant, pacis bonis: alieno enim hæc abs me loco, & non ſecundùm rei dignitatem dicerentur, id tamen quod eſt memorabile, ſilentio non involvam. Adeò in Pomerania florent vigentq; literarum ſtudia, & religionis unanimis conſervatio, ut non ſolùm privati homines ſuos recte liberos, & qui ex magna ſunt proſapia, bonis literis, magnâ ſtudioſorum nobilium copiâ, erudiri curent: ſed ipſi Principes etjam adeò Philoſophi ſunt, ut & ſuæ prudentiæ monumenta in patriæ felici gubernatione ampliſsima edant, & ſingularis eruditionis opera typis excuſa cum alijs communicent. Quis enim non cum voluptate & admiratione legit, elegantem illam PHILIPPI II. Ducis Pomeraniæ, Illuſtriſsimi Principis ac Domini, Dn. BOGESLAI Bardenſis filij orationem de re magna propoſitam, ut ſe ad virtutem & doctrinam exemplo tanti Principis accendi & velut excitari non ſentiat?

Sic ergo & intra ſeſe atque extrinſecus aliunde Principes Megapolenſes ſolatij veri loco magnam virtutis, doctrinæ, ſapientiæ atq; felicitatis rationem tenent, & apud exteras nationes admirabilem ſui opinionem excitant. Sed quid dicam? imò quid dicam amplius, majus aut optabilius? Deum Illuſtriſsimi Principes Megapolitani habent propitium & Dominum potentem, qui fortiter ſuum gregem adverſus quoſcunque hoſtes defendere novit, quia ejus integrum cultum, ſinceræ religionis, omnisq; throni ſtabilimentum, juſticiam &

fidem conservant, & tanquam pupillam oculi tueri conantur, ne quid perfidè, injustè, aut insolenter à quoquam, cujuscunque etjam sit ordinis & dignitatis, perpetretur. Multis ego quidem de ea re dicerem, si ita necesse esset, sed justiciæ illa severitas, cum prudenti lenitate mixta, quam Duces Megapolitani, in causis decernendis usurpant, & legitimis decretis exequendo vim addunt, & legibus effectus tribuunt, idipsum satis superq; loquuntur; ut, quæ res se ipsam satis ostendit, aliâ demonstratione haudquaquam indigere videatur. in istorum Ducum imperio velut in templo justiciæ, Mercurius Gratijs est adjunctus: consilij vim in singulis negocijs ipsi explorant, de rebus ipsi differunt, delictis rarò veniam atrocioribus, imprudentiæ gratiam impertiunt humanissimè. Cum ergò O vos Gratiæ & sapientiæ filij, fratres Augusti, principium atque fundamentum vestræ gubernationis, feliciter in religione pietatis & justiciæ amore posueritis, non est quod quicquam metuatis, nil est quamobrem non speretis prosperrima quæq; vobis vestrisq; posteris eventura. Nec desunt alia præclara Reipub. bona; omnia dixero, si unum nominavero, Pax est & religionis veritas. Subditi enim parent suâ sponte: Principes sunt patres benigni, & pastores populi sui: si quid urget, concordia & εὐδαιμονία mater omnis felicitatis, id facile abolet. Si quid incidit, fides omnium unanimis rei etjam periculosæ facilè medelam invenit. Nam omni contentione repugnandum est, DEVM hominibus causam mali non esse: sed rerum tamen quædam consequentia certa agnoscitur: Fato prosperitas & de hostibus victoria destinata est civitatibus, exercitibus, ducibus, familijs modestiam servantibus. Sin verò affectibus obsecuti peccant, item si inter se dissentiant, simultates alant, & tumultuentur, fato item ceu malo pænæ coguntur, ut dignitatis suæ & virtutis obliti, indecorè omnia agant, perturbentur, & varijs fortunæ telis misere agitati tandem concidant. Hujus rei testimonium omnium bellorum una causa, omnisq; regni & Reipub. eversio præbet manifestissimum. namque perpetua est regula, ut imperitis & insolentibus semper eversæ Reipub. culpa imputetur. Non enim duntaxat res secundæ indignæ oblatæ occasionem stultis exhibent malorum consiliorum, ut Demosthenes dixit, sed & prosperitas meritò major imprudentibus calamitatum caussa & origo esse solet. Quapropter suâ Princeps optimi non nituntur prudentiâ: sed, quos sciunt eruditissimos simul & bonos, sibi in consilium

filium adsciscunt; quantumvis fortunæ iniquitate pauperes sint, ingenio tamen bono & animo fideli: siquidem nihil mali habet vir pauper, si bonus & prudens est: & maximè eos adamant, quos SOPHIA & rerum usus benè erudijt, in quos concinat illud Meropis dictum: fortuna me sibi mercedem infestando & exercendo tulit, & sapientiam reddidit. Sic Crœsus postquam fortunæ varias vices expertus erat, optimus Cyro Consiliarius fuit. Constat enim & in promptu est, eum, qui sibi ipse prorsus inutilis est, alium prudentem efficere nequicquam posse. Rectè ergo Principes Illustriss. cordatos & catos viros, qui longius, quam alij, quid facto opus sit, prospiciunt, sibi patres advocant & principalis consilij participes faciunt, planè existimantes, quod consiliarius bonus utilissima & principe omnium digniſsima sit possessio. Qualem inter cæteros Dux IOANNES habet MICHAELEM GRASSVM Iurisconſ. clarissimum, qui & nominis famam elegantissimis suis scriptis ad extremas Europæ partes propagavit, & summa animi dexteritate, consilij utilitate, morumq; benignitate, sic multos annos res Principis administravit Cancellarius digniſsimus, ut solus laborem istum exanclaverit, quem multi alij vix sustinere potuissent. Quid dicam de illo verè Clarissimo atque Consultissimo viro, Domino IACOBO BORDINGO, unum si dixero & verissimum, ejus laudes qualiter qualiter attigero; Cancellarius bonus commune Reipub. bonum est. sed parco ejus, aliorumq; egregijs laudibus, ne in os homines prudentissimos laudare videar. Atque cum paratissima pernicies & Reipubl. pestis agnoscatur, si assentatoribus Princeps aures dederit, & ex eorum magis fallibili, quàm ex suo recto judicio omnia statuat, longè à se suaque aula Principes prudentissimi delatores & assentatores abesse volunt, quos noverunt esse perniciem bonorum adeoq; ipsius Reipub. certissimam. Interim alios pios & modestos, quos fortuna quidé satis diu beneq; exercuit, ut magnæ virtutis experimentum discerent, virtutis autem laus in honore & perpetuâ diuturnitatis memoriâ reposuit. Sed enim cum Principes Megapolenses æqua sorte lances Iovis, cui alteri Thetis, alteri Aurora adsistit, egregiaque corporis animique bona possideant, & præterea lumen veræ & orthodoxæ religionis in suis terris vigere, ipsique mentem optimarum artium studijs illuminatam habere prima statim ætate voluerint, haud est, quod

aliter quicquam speremus, quàm in tranquillo statu Reipub. bonæ & sinceræ religionis cultum & legum custodiam benè prudenterq; conservatum iri, ut ipsi Principes suos subditos ut bonos non solum metu pœnarum, sed & præmiorum exhortatione facere studeant; & quisque in sua vocatione demandati officij laboribus feliciter & diligenter utatur, fruatur. Nam cum animi inclyta bona in ipsis insint principibus, fit, ut ex eorum decretis, ingenio, virtute, veluti ex quodam saluberrimo fonte voluptas & gratia subditis adferatur. Siquidem lucente foco domus aspectu quoque fit pulchrior.

Hæc ergò bona & huic regioni, & nobis ejus incolis sint perpetua, & in omne posteritatis ævum sibi constantia; hancque ut mentem Principes **Megapolens.** perpetuò retineant, votis conjunctis à patre luminum Deo Opt. Max. in salvatore nostro Iesu Christo Emanuele optamus & precamur devotissimè.

D I X I.

EPICEDION.

MEMORIÆ

Illustrissimæ Principis ac Dominæ, Dominæ ANNÆ SOPHIÆ, Illustrissimorum Principum Dn. IOANNIS & Dn. SIGISMVNDI AVGVSTI generosissimæ matris.

A	uspicium gener	I	s fœcunda est fœmina, ne stirp	S
N	e patrij Rect	O	r desinat esse sol	I
N	atos hæc binos felici	A	tq; omine Saru	G
A	LBERTO peperit pig	N	ora grata Duc	I
S	acris & SOPHIÆ prude	N	s mox artibus anno	S
O	rnandos mat	E	r constituit juvenu	M
P	ost qui complef	S	ent, pulchro fastigia fruct	V
H	eroes colerent &	D	ATA SACRA Themi	N
I	llustrem matrem la	V	dabit tempus, & istu	D
A	ugustum non sic e	X	cidet omne pen	V.
QVæ VIDVa IngenVe seros exegerat anno				S

PORe patreM à gnatIs rIté sepVLta pIIs.

Anno Christi M. D. LXXXXI.

Christophorus Sturcius f.

ORA-

ORATIO
Tertia.

DE D. CHRISTOPHORO DVCE MEGAPOLITANO habita Rostochij mense Aprili Anno 1592.

PRæclarum sapientiæ munus est plenumq; justitia & prudentia, concio ornatissima, si quis heroum & præstantissimorum hominum vitam, consilia, res gestas & totam historiam pro sui instructione & perpetuâ virtutis laude cognoscat, proponat & celebret. Nam commentatione honestissimorum consiliorum & virtutis præclara ejusdem possessio acquiritur: Res profecto plena laudis & æternæ memoriæ. Non quidem eo inficias hanc ipsam meditationem professionis meæ partem esse non extremam, sed quod in alijs suspicio, veneror & admiror, ipse in me desidero; quin imò nec id quidem, ut rei dignitas exposcit, explicare verbis satis rectè queo. Quanquam verò nec eo quo debui studio, nec exacto officio id, quod in me requiritur, præstiterim aut præstem: tamen nemo in me reprehendet, quod summa rerum momenta in recitationibus historiarum sequor & inculco, quatenus continuatâ & perpetuâ temporum ostensâ seriè unius virtutis perpetua sit laus & commendatio: & nisi ad DEI omnipotentis gloriam, & honestatis rationem cuncta revocata fuerint, quam omnia sint caduca, turbulenta & incerta. idq; semper in promptu esse debet, ut variarum rerum plena nobis constet cognitio, atque imbecillitatis humanæ memoriæ nunquam excidat. Siquidem nec in magnis rebus quicquam est fixum, permanens & perpetuum: nec in ullo Rege vel Principe, nisi sibi constans virtus, quicquam est eximium, & magnopere laudandum. Cætera quippe omnia sunt caduca &

cà & varijs fortunæ casibus expositа : & ipsa vita hominis est quoddam punctum aut etjam puncto minus.

Ecce dum in historia Cyri & Cambisis ex quadam ἀντιθέσει quid fœdum dictu, quid factu turpe, quid rursus sequendum, quidve fugiendum sit demonstro, & vobiscum, auditores, meditor, Principes bonos esse fundamenta Reipublicæ florentis, atq; pro eorum salute vota concipienda & grato animo solvenda esse: domi quasi & præforibus, in hac alma provincia & terra Megapolitana casus contingunt inexspectati, tristes & mirabiles. Animus obstupescit saltem cogitatione tam inopinatæ rei, quamvis in rebus humanis nihil inexspectatum esse debet. Quid verò? querarne multa præter expectationem temerè evenire, quæ non audeas sperare? Sed in hominibus omnia humana cogitanda sunt. fragiles enim ac miseri sunt. Nec in fato ulla est temeritas. Quid? argumentumne ergo instantis ac mox imminentis calamitatis & periculi hanc ipsam rem designare dicam; quod duo optimi Principes, Duces Megapolitani nobis tam subitò tamve insperato erepti sunt? Sic quidem insurrat magistra vitæ experientia, quod miser sit populus, qui dominos terræ suæ sepelit. Sic idem rectius demonstrant sacræ paginæ. Ah doleo & illacrymor. nam ipse experiundo, quamvis juvenis, ita didici; quando Deus populo vel regioni cuidam mala quædam destinat & præparat, tunc Principes bonos altè aufert: cor aufert: consilium & vires aufert, ut cœco impetu in periculosa sibi suæq; Reip. incidant consilia, & tandem præcipites ruant, ac veluti truncus arboris miserè concidantur homines. Sed enim pij viri & qui futuri mali cogitationem exactiorem suscipiunt, hanc præmaturam duorum principum mortem admonitionem quandam sibi esse sinunt, qua eos benignus pater ad contritionem cordis & pœnitentiam de peccatis agendam alliciat, & nos omnes ac singulos adducat, modò optimo patri credere vellemus. O vesani si nec admonenti & præsagienti divino numini credere nolumus. Magnum sanè dicendi argumentum nobis propositum esset, si hanc rem & tristem hujus provinciæ casum & luctum ex merito explicare vellemus. Sed agnosco meam infirmitatem, quam benevolentia vestra sublevandam censeo, meq; ut benignè audiatis, etjam atq; etjam rogo. Nam quod observantiæ erga Illustrissimos Duces Megapolitanos, Dominos nostros clementis-

mos

mos laus requirit, & justa magnæ rei meditatio pro honore Professionis suggerit, quantumvis à me exiliter pertractatum, in vitio haud ponetis, viri prudentissimi, pro eo, quem in vobis jam diu cognovi, animi candore & summo erga me favore certò scio. Dicam ergò paucis de Illustrissimi Principis Ducis Megapolitani etc: historia, quantum vel brevitas temporis pati, vel imbecillitas ingenij mei suggerere posse videtur: & sic dicam, ut mutati status Livoniæ veras causas & occasionem pro temporum rerumq; discursu intelligatis atque cognoscatis.

Quam vetusta, quam inclyta, quamve omni genere heroicarum virtutum præstans à multis jam seculis fuerit familia Ducum Megapolitanorum & etjamnum sit: & quatenus ex una illa stirpe regia tot heroes celebres, tot patres patriæ, tot terrarum domini munifici processerint, non est ut ego dicam, & rem notissimam auribus vestris actum agendo inculcem. Res ipsa loquitur. rerum adsunt argumenta, ut verborum adminiculis in re tam clara & manifesta nequaquam opus esse videatur.

Ex hac gente & familia tam nobili tamue laudabili veluti quidam florens surculus natus est CHRISTOPHORVS Dux Megapolitanus, vetustæ gentis Henetæ Princeps, Comes Suerini, Rostochiensium & Stargardianorum Dominus, etc. Anno Christi 1537. jam anni ferè sunt 55. pauci & mali.

Patrem habuit ALBERTVM Ducem Megapolitanum inclytum & laudabilem. Matrem habuit ANNAM IOACHIMII &c. Electoris Brandenburgici filiam. Parentibus ergo optimis filius non degener satus est. En natales splendidi! En decus familiæ pulcherrimum hujus Principis & splendissimum! Sed nunqam ille avitæ dignitate tantum, propriæ quantum tribuit virtuti, sæpè in ore habens;

Virtute decet non sanguine nitt. verè præstantis viri præclarum institutum. Iam ergò cum tanto familiæ splendori mores reliqui in principe consenserint, quid dici potest beatius, quid fieri laudabilius? Nam quibus obscuri sunt natales, illis duplex quasi emergendi labor incumbit, ut & obscuritatem nativitatis admiratione, & splendore virtutis illuminent: & sui dignitatem itidem virtutis perpetuâ commendatione conservent. Facilius hæc contingunt omnia splendidâ è gente prognato homini, cui decus & ornamentum inter homines præcipuum ipsa concesit nativitas. Sed tamen nisi propria virtus certis doctrinæ præce-

præceptis illustrata accesserit, aliena profecto laudat, qui genus jactat suum. Quocirca advertamus alieno & extraneo bono non esse confidendum. Nam majorum laus indignis non decus, sed dedecus: non honorem, sed pudorem adferre solet. Itaque certissimum familiæ conservandæ & amplificandæ fundamentum virtutem & pietatem agnoscimus.

Proinde pro felici augurio optimæ spei de nato infante conceptæ, nomen Duci nostro in sacro baptismate CHRISTOPHORVS inditum est: ut vel ipsum nomen perpetuus quasi Pædagogus esset ad Deum, & ad pietatis cultum perpetuamq; virtutis curam incitamento. Certæ enim qui Christum salutis ac vitæ nostræ unicum auctorem in corde, in sermone, in actionibus circumfert, eumq; solum intuetur, meditatur & veneratur, eum hominem Christianum esse rectè dixeris, ut nomen rei planè conveniens esse constet.

Puer ergo noster Princeps præcipua pietatis capita didicit, & bonas item literas à primis annis satis benè & profectu mediocri gustavit, sed ut altius radices ageret, iniquior fortuna non sivit; siquidem dum plena nondum pubertate adolescens esset, in Galliam Regi Henrico obses datus est. Sic nãq; fœderis ratio requirebat, ut Germani Principes in bello adversus Carolum V. suscepto in vinculum fidei obsides darét. Profecto, ut dicam, quod res est, non levis est servitutis species sic aliquo in loco teneri, ut inde recedere non liceat, nec sui actus certam rationem habere posse Itaque Dux CHRISTOPHORVS à prima statim pueritia iniquam fortunæ conditionem expertus est, nec in gynecæo apud suos sed in peregrina terra obses educatus est. Didicit tamen hæc mala æquo perferre animo, & veram sapientiam, quæ comparatur laboribus, & saluti fuit multis Germaniæ Principibus, ne interim dicam, quod præcepta æquanimitatis inde hauserit, quæ deinde multis alijs in rebus ipsi præsidio & ornamento fuere. Et, me Christe, hoc perfectæ Philosophiæ proprium est, seipsum rectè moderari, seq; animumq; suum cupidum, iratum, rectæ rationis ductu vincere posse; & hæc ars verè maxima non in delitijs, nec nudis Philosophiæ præceptis sed varijs rerum experimentis & casibus discitur. Postquam verò Dux CHRISTOPHORVS aliquamdiu apud Gallos obses vixisset & conditiones pacis à CAROLO V. æquæ propositæ essent, magnà virtute summi illius herois Domini MAVRICII Electoris Saxoniæ cuncta moderante, tandem in patriam lætus redijt.

Quem

Quem ex mandato Illustrissimi Principis Ducis IOANNIS ALBERTI optimæ memoriæ, fratris suæ Celsſ. suavissimi domum reduxit IOACHIMUS MOLTZAN Dn. in Pentzelin, omniumq; votis gratus fuit Ducis CHRISTOPHORI reditus, & jam ad alias quoq; gentes fama cõstans egregiæ indolis atq; duriter exercitatæ virtutis pervenera. Itaq; dignus visus est, qui Episcopus Ratzeburgensis eligeretur, & cui alia item dignitatum munia conferrentur, utpote qui magnæ virtutis, patientiæ & fortitudinis experimenta habuit.

Consenuerat jam Illustrissimus Princeps VVILHELMVS Marchio Brandeburgensis, Archiepiscopus Rigensis. Quamvis optimo seni sua ex diversis principibus dabatur optio, tamen quem in tanto imperij onere sibi coadjutorem & successorem eligeret, Ducem nostrum CHRISTOPHORVM inprimis dignum censuit. Nec abfuit diligens ratio consilij & commendatio Ducis IOANNIS ALBERTI &c. Verum enim statim initio multa, quæ optimum institutum senis Archiepiscopi impedirent, intervenere; qua difficultas itineris longinqui ac periculosa: qua simultas & intestina discordia Principum Livoniæ. Sic enim quasi ex pacto convento secum statuerant Magister & quicunque alij: ex eo ordine erant homines privatorum commodorum studiosissimi, ut ex sua duntaxat patria VVestphalia in suum ordinem & sibi successores, qui summas rerum habenas tenerent, sua auctoritate cooptarent, nec Livonum aut extraneum quemquam ad summa rerum gubernacula admitterent. Malum profectò institutum, & seditionis ac tumultus, qui mox consecutus est, plenissimum, ut soli VVestphali rerum potirentur. Quapropter id operam dabant, ut armis, opibus, numero militum & cæterarum rerum copijs superiores essent, & exinde senem Archiepiscopum ne quid tentaret, facile sed temerario planè ausu continebant. Deinde cum reformandæ religionis curam Archiepiscopus suscepisset, communicato cum proceribus terrarum consilio, qui pijs conatibus ejus resisteret, solus propè erat ordo magisterij: plenam sibi exinde astruens & usurpans jurisdictionem. Sed nullum est consilium tam prudens tamve efficax atque solers, quod quæ fato destinata sunt, inflectere possit. Respexerat enim Deus illam provinciam, & lumine verbi sui salutiferi eam illustrari voluit. Ex omnibus autem cæteris terris Imperij Romani, quæ Evangelij doctrinam à Domino LVTHERO repurgatam receperit, Livonia prima fuit. Et ut Ecclesiæ Christi symbola agnoscas,

multum ipsa semper à tempore repurgatæ religionis pressa & afflicta fuit, & etjamnum varijs persecutionibus affligitur.

Quanquam ergò multa (ut est in difficili magnarum rerum expeditio) eaq; varia obstarent, & conatum Illustrissimorum Principum Megapolitanorum impedirent: tamen communicata re cum Dn. ALBERTO Duce Borussiæ, cum & ille suam auctoritatem tanquam supremus Magister ordinis Teutonici, à quo Princeps Livoniæ sui magisterij axioma recognoverat, interponeret, feliciter satis omnia processerunt. Iuveni Duci CHRISTOPHORO, non solum comitatus equitum & nobilium satis splendidè instructus, uti par erat, tantum heroem in peregrinas terras devehi, additus est, sed etjam viri quidam sapientes, ætate, prudentia, nobilitate generis ac virtute præstantes huic nostro Principi, velut cor & alter oculus adjuncti sunt, VVERNERUS HANE in Baßdow & IOACHIMVS CRAVSE in Verchaw (quorum in benedictione est memoria vitæ benè ac sapienter actæ) & alij multi magni viri nobiles & docti. siquidem Consiliarius fidelis lingua & auctoritas Principis est. Interim in Livonia magister ordinis & ejus assecla, postquam certiores facti sunt Ducis CHRISTOPHORI Coadjutoris electi adventum appropinquare, fremunt, tremunt, indignantur, minantur, dira omnia Archiepiscopo ac Consiliarijs ejus comprecantes. Siquidem ita inter sese velut certam legem statuerant: peregrinum Principem non admittere: quo nullius gentis virtus magis cognita esset, ne scilicet majoris aliquo dignitatis splendore sua dignitas obscuraretur, suaq; potentia quodammodo deminueretur. Sic fata homines in suas clades, quæ mox subsecutæ sunt, ruere sinebant: Sic ambitio, quæ homines non sinit quiescere, huc illuc eos impellebat. Nec item minis abfuere arma; adventantem quippe Ducem CHRISTOPHORVM excipiebant quidem honorificè, sed in arcem Treidam quasi impingebant captivum, interim tamen copia frumenti & cæterarum rerum necessariarum sufficienter subministrata, ut hæc species plenioris alimenti, captivitatis, quæ tamen re vera erat, imaginem eluderet. Ipsum autem Archiepiscopum VVILHELMVM benè de illis omnibus ac de tota Livonia meritum in urbem Kakenhusen captivum, separatis ab ipso omnibus ejus Consiliarijs, satis duriter & inhumaniter detinebant, omnes reconciliandæ gratiæ pacisq; ex æquis conditionibus sanciendæ rationes interim respuentes. Tunc & meum patrem CHRIstopho-

stophorum Stvacium Cancellarium Archiepiscopi VVilhelmi, & qui partium Ducis Christophori studiosissimus erat pacisq; amantissimus, in squalido carcere satis longo tempore Vendæ una cum alijs præstantissimis viris habebant, usque dum tandem Ferdinandvs Imp. Romanorum ad postulata Illustrissimi Alberti Ducis Borussi fratris, itemq; Archiepiscopi VVilhelmi legatos viros illustres & præstantissimos cognoscendæ istius rei gratia in Livoniam mitteret, omnemq; sua auctoritate controversiam dirimeret; qui legati re diligenter cognita pronunciarunt sane, & ipsum Archiepiscopum & cæteros ejus consiliarios liberè absq; ullo pretio dimitti, & omnia bona ipsis adempta restitui debere. multas quippe arces & oppida Archiepiscopi Magister ordinis VVilhelmvs Fvrstenberg expugnarat, occuparat, multaq; inde spolia sine sanguine Dn. Archiepiscopo & alijs, qui ejus partes secuti fuerunt ademerat, duxerat, diripuerat. Liberatus est quidem Archiepiscopus ac Cancellarius, cæteriq; ejus Consiliarij & ministri dimissi sunt, sed bona adempta præter nudas quasdam devastatas arces restituta non sunt. Major enim in adversarijs insolentia fuit, quam ut legatorum Imperatoris decreto parerent.

O furor! ô nimium dominandi cœca libido,
Mortales quo cœca ducis?

Cum autem hanc atrocissimam injuriam sibi & suis Consiliarijs illatam Dominus Archiepiscopus æquo animo ferre non posset nec deberet, & præterea ægerrimè ferret Principem Christophorum quem sibi Coadjutorem elegerat, quive ad sua postulata è patria tam longinquo itinere magnisq; sumptibus factis venerat, sic quasi captivum detineri, neq; hanc contumeliam decreto & auctoritate legatorum Cæsaris amoveri posse videret, plenius consilium ineundum esse censuit, ut incolume sibi regimen relinqueretur, & insolentia adversantium retunderetur. Invocat ergo sui avunculi Sereniſsimi Regis Poloniæ Sigismvndi Avgvsti laudatissimæ memoriæ opem, auxilium, consilium. Diligenter item frater Archiepiscopi Albertvs Dux Prussiæ causam hanc agit, & vices fratris miseratus à Rege petit & impetrat, ut ipse causam cognosceret. Cum magnis ergò copijs Sigismvndvs Avgvstvs propius in Livoniam ad fines Semigalliæ, quæ est ditionis Curlandicæ, venit, in ordinem redacturus Magistrum ordinis, nisi ille moderatiùs agere institueret.

Accepimus Regem Poloniæ centies mille homines in exercitu tunc habuisse. Castra rex posuerat ad vicum quendam Paßwaldt dictum, quo Magister ordinis turma quingentorum equitum stipatus, itēmq; Archiepiscopus VVILHELMVS & Dux CHRISTOPHORVS venere, veluti ad tribunal, arbitri ex æquo & bono rem dijudicantis sese sistentes. Magister ordinis FVRSTENBergius supplex ad pedes Regis procidit, veniamq; sui facti deprecatus est, & se jussa facturum promisit. His ita constitutis & receptis Rex Poloniæ cum exercitu innocente domum revertitur, & magister ordinis Archiepiscopum in honore habuit, consensitq; ut Dux CHRISTOPHORVS, uti erat electus, Archiepiscopi coadjutor & successor esset legitimus. Hæc animorum reconciliatio inter Principes terræ Livonicæ secundum vota omnium spem quidem attulit florentis & optimi deinceps futuri status Reipub. Nihil enim concordia tum in publicis, tum in privatis rebus, tum in gubernatione, tum in consilijs melius, utilius, jucundius. Nihil è diverso discordia tetrius aut perniciosius dici vel cogitari potest. Sed ecce præter spem & omnem expectationem quæ evenerat! dum omnes sibi ac toti Reip. cuncta feliciter eventura sperant, & aliqua etjam imago felicioris sortis appareret, subitò hostis acerrimus & infestissimus Livonis Moschus causam belli quærit, eamq; ex Livonum imprudentia, ut quidam autumant, invenit. quippe parvâ vi pecuniæ, quam sibi dari postulabat, magnum pacis bonum redimere potuissent, sed non adeò imprudenter Livonos egisse puto, qui extrema potius mala sustinere quàm alienæ & barbaræ dominationis jugo subijci voluere. nam talis pactio quæ pacem pecunia redimit, non pax est, sed servitutis pactio, ut LAMPADIUS Senator Romanus id Honorio Imperatori rectè testatus est. Per annos prope 50. Moschi nulla Livonis arma intulerant, postquam virtute Gualteri Plettenbergi victi, conditiones pacis petere & accipere coacti fuere. Iamvero cum & rebus secundis virtutem Livonum enervari, & vires provinciæ discordiâ intestinâ potentum collabi videret, hostis occasionem rei gerendæ commodè oblatam minimè prætermittendam censuit. Nec item ipsi obscurum fuit, licet animi principum Livoniæ reconciliati essent, alto tamen pectore judicium Paridis apud semel malè offensos residere solere; jam prope eos contemnens, quorum ante virtutem admiratus erat. Itaque qui semel disjunctis fuerant animis, eos repentino armorum terrore facilimè dis-

jungi

jungi posse, ut quisque suæ ditionis latebras quæreret & defenderet, non falso putavit. Celeriter ergo exercitum colligit, & nec inopinantes quidem Livonos à tergo insequitur, & ab ea parte regionis, quæ florentissima fuit, & suæ ditioni proxima est, opprimit, cuncta devastat, & Derpatum occupat, cæterisq; incolis alteram Livoniæ partem inhabitantibus ejusmodi metum incussit, ut nec consilij copia, nec auxilij ratio ulla constare videretur. Dux verò CHRISTOPHORVS Coadjutor Archiepiscopatus Rigensis, juvenis alacer & ad omnia summa natus, belli fortunam adversus hostem experiundam esse rectè censuit. Suæ ergò diocœseos milites conscribit, & Magistro ordinis sese conjungit, ut junctis viribus communi hosti resistere posset. Derpatum enim jam recens à Moschis occupatam inprimis recuperandam esse censuerunt rectè, ut miles in Moscoviam deduci inde posset commodè, si amplius depugnandum foret. Missi interea sunt legati in Muscoviam viri nobilissimi & Amplissimi, qui de pace tractarent, eamq; illi bonis sanè & non prorsus invidiosis conditionibus impetrarunt. Sed ut pœnam divinitùs Livoniæ destinatam advertamus, & tardiùs ad arma deventum est, & conditiones pacis ineundæ à Legatis receptas Livoni non ea promptitudine, qua Magnus Dux Muscovitarum præscripserat, compleverunt. Omnis ergo belli expeditio & pacis componendæ tractatio irrita, & saltem hostilis iræ majorisque indignationis occasio & unica causa mutati status Reip. Livonicæ fuit. Namque cum promissam pecuniam in numerato non haberent, & Moschus se elusum videret, furore quodam percelli cepit, & Livoni magno suo malo hostem non antiquæ Plettenbergicæ virtutis studio, sed adsuetæ insolentiæ vitio hostem vili pendebant. Quare magnum malum Moschus totam pervasit Livoniam, & castra prope Rigam posuit. FVRSTENbergius tunc temporis Magisterij dignitati ob ætatem ingravescentem, & oneris imperialis difficultatem renunciavit, eamq; præstantissimo heroi GOTHARDO, postea à Rege Poloniæ Duci Curlandiæ designato, coadjutori suo cedit. Ipse Velini in otio & quiete degere elegit, sed cum hostis eam urbem obsidione cinxisset, FVRSTENbergius à suis militibus, quibus intempestivè stipendia exigentibus exsolvere statim non potuit, desertus & proditus, in manus hostium pervenit, vitamq; miserè in captivitate finivit. Hæc inopinata captivitas Magistri & Principis quondam Livoniæ, magnaq; potentissimi

hostis crudelitas stuporem animis omnium attulit ingentem, ut quid facto opus esset, plane secum reputare nequirent. Sed Dux Christophorus cæteris animosior non cedendum esse arbitrabatur, sed quibus liceret maximis viribus obviam procedendum esse. Nam virtus malis non frangitur, nec pericula ex vitæ discrimine sed ex cumulo gloriæ, quam mors generosa adfert, æstimari solet. Consulebat autem Dux Christophorus in hostico solo belli sedem collocari deberi. caute. hostem quasi proprijs suis viribus atterere prudens est consilium. è contrario pati in suo prope conspectu hostem omnia devastaré res plena damni, periculi & metus est. Placet ergo consilium, & arma singuli capiunt, commissoq; prælio ad arcem Ringen hostem in fugam conijciunt, & bonam partem exercitus ejus concidunt.

Cum autem Moschus jacturam non levem passus esset, interim tamen quàm infirmæ Livonum vires essent secum reputaret, Tartaros in societatem belli ascisçit, & copias amplissimas centies trigesies mille hominum ex varijs gentibus congregat, atque hanc vim validissimæ manus in Livoniam deducit. Interim Livoniæ Principes suæ imbecillitatis conscij, cum intelligerent facile se tantæ potentiæ & violentæ crudelitati resistere, nedum eam suis viribus propellere non posse, aut patriam incolumem conservare, etjamsi ad unumomnes perire mallent: legatos magnis itineribus in Germaniam ad Imper. Romanum mittunt, ut subditos suos & imperij Cæsar defendendos susciperet, & adversus hostem sæviss imum &, potentissimum quàm celerrimé missis copijs tueretur. spes data quidem est, & fiducia auxilij futuri magna animi alacritate excitati sunt Livoni, sed nihil subsecutum est auxilij. Tarda enim ab occupatis veniunt subsidia. Quid vero? necessitas belli ingruentis tempus deliberandi diutius plané ademerat, & verba nequicquam sufficiebant, cum facto opus esse videretur. Adhæc diversitas animorum & consiliorum inter ipsos status Livoniæ optimè etjam cogitata rectè sentientium impediebat. Rævalienses devastata jam regione sibi proxima Harria VVirlandia, occupata jam ab hoste Nervia, quæ florentissima est pars Livoniæ, ubertate rerum omnium, fertilitate agrorum præcellens, ab imperio Romano opem frustra adhuc expectari videntes. Regis Sueciæ Erici XIV. patrocinio & fidei sese committebant. Quid? cæteris

teris item Livonis ab Imperatore Romano alijs bellis occupato nulla spes auxilij certa, ex suspensa quantumvis diu expectatione apparebat. Hostis vero propius ad interiora Livoniæ loca interceſsit, cuncta igni, ferro, cæde devastans, concremans, conficiens, concidens. Itaque ex re consilium capiendum esse Livoniæ Principes existimarunt: Legatos igitur suos ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem Poloniæ mittunt, qui fidem, auxilium, consilium & opem præsentem peterent, postularent & impetrarent, neve dubitanter affirmarent, Livonos in societatem regni Poloniæ certâ fide retentaq; ἀυτονομίᾳ accessuros esse, & ne quid Sacra Reg. Majestas ob sumptuum magnitudinem vereretur, neve implorantibus opem denegaret, spoponderunt Livoni velle sese in recompensationem sumptuum aliquot arces & oppida Regiæ Majestati tradere, quas certo jure pignoris teneret, donec sibi expensæ belli exsolutæ essent: utrimq; certis conditionibus data & accepta fides est, scilicet ut luendi pignoris hæc ratio esset, ut Archiepiscopus centum millia, & Magister ordinis sexcenta millia florenorum Polonicorum solveret, & recepta hac pecunia Poloni tota regione Livonica planè cederent & abstinerent. Hæc prima fuit occasio societatis Polonicæ, quæ tandem in subjectionem, proh dolor, degeneravit, ut vix ἀυτονομίᾳ & ex suo corpore eligendi magistratus facultas Livonis jam relicta videatur. Sic facta æquis conditionibus est confœderatio, & ea quidem sustinuit aliquantum miserè quamvis Moschorum impetum, sed violentiam omnem minimè repressit, tantum abfuit, ut pax certa data fuerit. Nam diversæ gentis studia diversa sæpe consilia rerum agendarum suscipiunt & peragunt. Livoni existimabant se hisce socijs instructos hostem Moschum vincere, & ab aris & focis suis propellere posse. At Poloni, ut jam eventus consilij rationem apertè demonstrat, amplificandi sui regni spem non dubiam exinde conceperunt. Copiæ ergo quidem in Derpatensem districtum ductæ sunt, sed quod ex re Livonum esset, gestum est nihil. Interim aliud scisma extitit longè periculosissimum: Osilienses & bona pars Curlandiæ, quæ ad Episcopatum pertinebat, Regi Daniæ, Episcopo Munchausen ita rem magno cum suo commodo pertractante, sese dederunt, & FREDERICI II. Regis Daniæ laudatissimi Principis fratrem Ducem MAGNVM sibi Principem receperunt, qui mox se Moscho conjunxit, & hostis Livonum factus

est in-

est infestissimus, atq; hæc consilij ratio non à fratre Rege optimo heroe suggesta, sed à rerum novarum cupidis hominibus tradita fuit. Hoc deinde Principe Moschorum Dux veluti quodam instrumento ad totam provinciam occupandam usus est. Proinde in tres partes tunc erat scissa Livonia, unam eamq; fertilissimam partem tenebat Succus; alteram sub titulo Episcopi occuparat Dux MAGNVS; tertiam Poloni sic defendebant, ut eam planè sibi propriam facerent. Namq; dum animadverterent summas inter ipsos ordines Livoniæ dissensiones esse, & adamantino illo vereq; aureo vinculo concordiâ carere, & meliores partes ab universo corpore separatas esse, ex fide societatis suppetias ulteriùs mittere Poloni noluerunt, nec quicquam præsidij ferre, nisi sese regno Poloniæ Magnoq; Ducatui Lithuaniæ subjecissent. Hujus sanè consilij rationem ineundam multa suadebant, & eo præcipuorum quorumvis animi non obscurè inclinabant; quemadmodum post deinde Livonia salvo jure religionis Augustanæ confessionis & privilegiorum regno Poloniæ quasi incorporari cepit. Sed duci nostro CHRISTOPHORO tunc Archiepiscopo Rigensi Livoniam Polonorum subesse imperio, & Livoniam planè ab imperio Romano disjungi & separari, nec utile, nec tolerabile visum est. Societatis autem jure eam ab aliquo potentissimo Domino defendi magis consentaneum existimabat. Sic enim Rævalienses in fidem Regis Sueciæ venisse & receptos esse videbat, eorum exemplum sequendum esse statuit, profectusq; est ad Regem Sueciæ, factoq; cum illo fœdere suam quoq; diocœsin Archiepiscopatum Rigensem eodem jure Sueco adjungere voluit; sed jã ordinis Teutonici Magister Illustriss. Dn. GOTHARDVS acceptis insignibus Ducatus Curlandiæ: cæteriq; magnates se fidei & tutelæ Polonorum certis conditionibus subjecerant. Itaque cum Ducis CHRISTOPHORI consilia minus tuta & è re Livoniæ esse viderentur, neve ille à ceptis mutabili quadam voluntate desistere vellet, captivum in Polonia mittunt, & Vilnæ in custodia ad sex integros annos servatus est. Licet ergo Dux Christophorus placidam felicis sortis auram aliquamdiu senserat, sequiori tamen fortuna simul usus est, ut varias rerum vices etjam Principi viro in tanta rerum humanarum varietate & mirabili revolutione accidere posse intelligamus. Et consilium quidem ejus pro honore & axiomate imperij Romani conservando pium & probabile fuit, sed quia id non communicata re cum ijs quorum intererat suscepit, minus

nusque probari potuit, & jam illi Consiliarij Megapolitani, qui ejus Celsitud. initio erant adjuncti, in hasce terras redierant, ut plenius capiendi consilij ratio justa sibi non constiterit. Sed enim quid dicam? fato sic determinatum fuisse puto, ut pœna Livoniæ hæc maxima esset, non ab uno deinceps Principe regi, nec ijsdem institutis consilijsq; Itaque monstri instar eam in varia distrahi capita necesse erat, ut perpetuâ dissensione, uti factum est plane, dilaceretur, & omni suo decore privaretur. Iniquitas nostra fateor hanc promeruit pœnam. sed advertite apud quos eadem causa arguitur esse, eundem ut illi expectent effectum, & idem periculum operiantur, consequens est. Namque historia est plena sapientia, ut non solum quæ bona, tuta, prospera, in qualibet Repub. fuere & sunt cognoscamus & sequamur, sed & quæ his sunt contraria, quæve Rempub. pessundent, alieno exemplo edocti advertamus & fugiamus. Mala hæc perdiderunt Livoniam, item & alias terras regnaque,

Luxuries vitijs odijsque superbia vertit.

Seditio item & privatum inter Principes odium, majorque proprij commodi quàm publicæ salutis cura, perdiderunt Vngariam, perdiderunt Livoniam. O vos felices Germani, qui ex nostris ruinis vestræ florentissimæ Reip. tuendæ rationem evidentem discere sine vestro periculo potestis. Vtinam disceretis & ad rerum momenta maturè adverteretis: sic planè vereq; vos beatos pronunciarem, si principes vestri, si magnæ civitates ijs vitijs, quæ meam verterunt patriam, parterent. sed redeo unde deflexit oratio. Quam Illustrissimus Dux CHRISTOPHORVS puer & in Gallia obses didicerat, æquanimitatem & laborum atque periculorum tolerantiam, ea sibi in carcere Polonico multum profuit, interim nihil impiè, nihil audacter, vel temere tentabat, sed divinæ voluntati suaque omnia committebat, aliquoties secum vulgatum sermone proverbium repetens, POST NVBILA PHOEBVS; & decurso temporis spacio ita expertus est re vera, quod tristes & acerbos casus læti sequantur exitus. Nam quæcunque in se nec rationem, nec finem pro hominum opinione habent eorum exitum facilè DEVS invenit & disponit.

Liberatus ergo ex carcere Polonico redijt in patriam & Episcopatui Ratzeburgensi eâ auctoritate, prudentia & pietate præfuit,

ut & vivens diligentissimus sinceræ religionis custos & legum cultor fuerit, & mortuus magnum sui tristeq; omnibus subditis & amicis desiderium reliquerit. illi enim eum tanquam patrem amabant & venerabantur. Hi sapientiæ præcepta ex ore & sermone ejus haurire visi sunt. Nam sic varios suos quos expertus fuerat, casus commemorare solebat, ut multa simul prudentiæ præcepta inculcaret, & juvenum astantium animis instillaret. Deinde omnes Reipub. suæ partes adeò diligenter obibat, ut nullius conditionis homines tributis collectisq; premerentur, aut ullam ex ipsius moribus molestiam caperent; amicis autem adeò jucundus, suavis & amabilis fuit, ut cum ipsis Gratijs vitam agere existimarint.

Etsi verò ordini sacro initiatus erat Archiepiscopus Rigensis primùm, deinde Episcopus Ratzeburgensis confirmatus, tamen ut vera sinceræ pietatis argumenta agnoscas, dogmata ille Romanistarum sacrum conjugij fœdus clericis prohibentium secutus non est, sed in matrimonio caste potius vivere maluit, quàm alias caute & impurè. Primam ergo uxorem duxit DOROTHEAM appellatam Dei donum, patriæ gratum, Illustrissimæ heroinæ ELISABETHÆ Illustrissimi Principis nostri VDALRICI Ducis Megapolitani &c quondam conjugis castissimæ sororem, fœminam castam, piam, & pauperum nutriciam, sed hac beatâ conjuge diu eum frui fata invidebant, nec prolem ex ea suscipere dabant, Nam cùm vix per biennium eam conjugem habuisset, piè defuncta maritum viduum, multumque sui desiderio lugentem reliquit. Alteram deinde multo jam tempore luctus transacto conjugem ex regia prosapia Succiæ prognatam ELISABETHAM duxit, quæ jam vidua luget maritum amare. Vixit cum ea in conjugio suavissimo per 11. annos, filiamque unicam genuit, quæ nomen matris virtutumque decus refert egregium, cui ut omnia fausta eveniant, qua par est animi devotione precamur. Toto autem illo tempore, quo ex Polonia Dux CHRISTOPHORVS reversus in his terris vixit, otij & quietis amantissimus fuit, & ne quid temporis temerè perderet, vel historias legebat, vel res abstrusas inquirebat. Musicâ alijsque liberalibus disciplinis plurimùm delectatus.

Fortitudinis porrò belliçæ hanc præclaram laudem retulit, ut non solùm privati homines, qui de armis & re militari aliquid vidi-

care

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0054
DFG

care possent, inter cœteras præclaras ejus virtutes eum suspicerent & venerarentur, sed etjam ipsi Sacræ Cæsar. Majestati ob eam rem vel inprimis charus fuit. Quocirca MAXIMILIANVS II. Imp. annuum ipsi salarium Principe tanto dignum designavit, idemq; fecit RVDOLPHVS Cæsar, uterq; id solicitè agens, ut si forte periculum belli à Turca incideret, ille præsto esset, cujus virtuti & prudentiæ exercitus pop. Rom. tuto committi posset. Nec aberant in hoc Principe naturæ & artis præclarissima adjumenta. Memoria in hoc Principe omnium rerum, quas viderat aut legerat, adeò tenax, vigens & recens fuit, ac si ex libro singulari vetustissima etjam referret. Solertia mentis adeo bona, ut ex tempore ille de rebus etjam maximis pronunciarit, & multo rectius quàm qui magnam judicij formandi causa deliberationem instituunt: Quàm porro liberalis & munificus erga studiosos literarum fuerit, quamve largè beneficia in ministros Christi contulerit, non est necesse: ut ego longa oratione commemorem, res ipsa loquitur. Indicia ejus rei & apud nos sunt in communi mensa, quâ pauperes scholastici fruuntur, & privatim singuli ejus munificentiam agnoscimus. Honos enim & beneficentia Principum alunt artes, Nec hæ ingratæ sunt, sed suos Mœcenates vicissim apud omnes posteros perpetua laude commemorandâ dignantur.

Sed enim, ut est vita hominum re vera non vita sed miseria, optimus ille Princeps magnas tum publicè tum privatim curas & solicitudines habuit, quibus propè confectus maturiùs consenuit, quàm fortè per ætatem par fuisset. O nihil est ex omni parte beatum, hominis misera conditio ubique patet, sive privatim, sive in summo rerum fastigio collocatus vivat, ut scitè ex Regio Propheta cecinit Buchananus: Psal. 39.

Nos ævi quod vivimus, penè est nihil,
Et penè brevius quàm nihil.
Vmbræ fugacis instar atque imaginis,
Quam reddit æquor vitreum:
Idipsum inani in vanitate atque anxijs
Egrescit in laboribus.
Animum libido torquet, inflat gaudium,
Spes tollit, ac timor premit.
Tumultuamur temerè, congerimus bona
Incognitis heredibus.

Multos tenet & angit cupido regnandi, sed tandem benè afflicti & varijs molestijs torti agnoscunt, quo illud Antigoni edictum pertineat, qui de insignibus imperij, sceptro & diademate, affirmare non dubitavit; si homines nossent, quàm res essetis plena curarum & periculi, vix è luto vos tollerent. Beatè ergo Dux CHRISTOPHORUS vixit à publicis curis & negotijs remotus, & beatè etjam diem vitæ suæ clausit, cum pridie ante multa de beatorum hominum statu piè admodum disserviisset, & illo genere mortis è vivis excessit, in cœlestem patriam, quod Christiano homini optatissimum esse solet, subito nullo cum sensu doloris & mortis evocatus. Estque jam ejus Celsitud. procul dubio in cœtu beatorum hominum, qui certa in Christum fide mortui, in gloria Dei cum Angelis vivunt, & nos duntaxat præcesserunt, liberati ab omnibus malis & periculis, quæ nos quotidie audire & sentire in hac ærumnarum miserrima valle constitutos necesse est. DEVS Opt. Max. nos doceat rectè mori, ut sapientes fiamus in IESV CHRISTO, & cum ejus voluntati complacitum fuerit, nos certâ fide & spe obsignatos in suum paradysum deducat. Idem pater omnis gratiæ & misericordiæ Illustrissimos Principes Megapolitanos Dominum VDALRICVM Nestorem Senatus Germanici, Dominum CAROLVM, Dn. SIGISMVNDVM AVGVSTVM omnesque Augustas fœminas & hanc scholam florentem benignè conservet, & felici omnium rerum successu beet, ut hæc halcyonia nostræ Ecclesiæ concessa diutissimè quieta & tranquilla esse possint.

DIXI.

ORA-

ORATIO
Quarta.

DE DVCE IOHANNE MEGAPOLITANO PRINCIPE optimo.

TAne ergò plena sunt luctus & lachrymarum omnia? ut dum vix Principem CHRISTOPHORVM deflevimus, jam mox triduo post alterum deflendum nobis Principem IOHANNEM, Gubernatorem patriæ verè suavissimum, verè optimum ac pientissimum, fata constituerint. Mens obstupescit meditatione tanti mali, tanti doloris, tantæ tamque insperatæ calamitatis! Quid opus est, ut ego quali quali, minus sanè compta oratione acerbissimum hunc mortis casum Illustrissimi Principis defleam! En quot lachrymas pluvijs multis cœlum distillat! si quis nostrum forte tam ἀσόργητος est, qui in publico luctu flere nollet. En facies cœli tristis nostram deflet miseriam! En publicus patriæ mæror quantus! En omnium procerum pullæ vestes! quid arguunt? nigræ mortis metum præ luctu sibi obversari. En demissa in terram capita! quid testantur? nos membra ejus, capite adempto, jacere squalida: & illo in cœlum abrepto, in terris calamitosa & misera remanere. Eheu omnes meritò dolent, quod optimo se ac verè salutari bono, erepto sibi hoc Principe, privatos agnoscunt. Quid nostræ Musæ? Quid pulpita scholarum? Quid decora reliqua? Ecce dolent, lugent, mœrent. Patronum illæ amisère bonum, Mœcenatem amisere munificum, Dominum amisère clementissimum. Hic Princeps decus erat Ecclesiæ, custos publicæ pacis, amans literarum, ornamentum studiorum. Hunc fata eripuere, Invidiane? imò sacra. O imperscrutabilia judicia domini! O quàm viæ Iehovæ sunt imperveſtigabiles! Quis cognovit mentem domini? quare hæc mala nobis eveniant. O parcæ diræ! quare è medio cursu

hunc nobis Principem abripuistis ? qui suâ virtute, consilij dexteritate & prudentiâ, Ecclesiæ Christi & toti Reip. magno præsidio atque ornamento fuisset. Sed quid ego causam quæro ? indignitas nostra hanc pœnam meruit. Quis cogitasset hæc unquam ? O nos dementes, qui non præcognovimus hæc unquam, ut morum sanctitate & cordis ad Deum conversione hæc bona nobis faceremus perpetua. Sed quid ego queror ? lachrymæ tamen testantur dolorem : sed nihil præterea proficiunt. Testes sunt publici mali : sed nec recuperant amissum, nec ullum bonum proferunt. Laus optimi Principis est perpetua, memoria est in benedictione. Nihil ejus causâ lugendum, nihil dolendum est: quicquid mœremus, nostrâ id causâ facimus.

Et quoniam certâ fide subjectionis & ministerij nos optimo Principi devinctos scimus, nec ullum gratum hactenus studium vel officium præstitimus, multis tamen beneficijs à benigno principe cumulari, & affecti simus : utiq; si pijs manibus illustrissimi Principis parentaremus, & devotum nostrum animum eo ipso demonstraremus, omnino consentaneum fore existimo. Siquidem gratam ac celebrem Principum benèmeritorum memoriam conservasse, pars obedientiæ & gratitudinis non minima esse videtur. Itaque quod pietatis & obsequentissimi studij causâ facimus, id qui reprehendat, puto fore neminem. Paucis autem exponam Illustriss. dominum D. Ioannem Ducem Megapolitanum, & vetustæ gentis Henetæ Principem, Comitem Suerini, Rostochiensium & Stargardianorum dominum, Dn. nostrum clementissimum, sic planè ingenio, institutione & moribus Principem fuisse optimum, ut imago virtutis & pietatis in ipso posteris expressa & ad imitandum proposita esse videatur. Deinde ubi dixero, quæ humanitus eveniunt, ea, veluti homini, propria, nullam in se reprehensionem continere, causas luctus exponam gravissimas & justissimas. Deus Opt. Max. mentem & linguam meam regat & gubernet, ut vera & salutaria, vili quamvis orationis stylo, consequar : vos autem ut me benignè atque humaniter æquis animis audiatis, etjam atque etjam rogo.

Quæcunque fortunæ corporisq; bona magna & præclara homines putant, & admirantur ; ea huic Principi contigisse omnia; in confesso est. genus, auctoritatem, conjugium, pacem, subditos.

Familia Ducum Megapolensium, si vetustatem gentis Henetæ spectas, illustrissima à multis jam seculis fuit, & etjamnum est : si clarita-

claritatem generis consideras, venerabilis, & in magna semper fuit auctoritate, & etjam num est. Multos illa Heroas præstantissimos & patres patriæ optimè meritos produxit, dedit, & generi humano salutares protulit. Itaque si quid ad virtutis laudem facit familiæ illustris atque splendidæ commendatio, uti me hercules facit plurimùm; ut velut caussa suo effectui, ita geniculum suo generi seu stirpi mutuò correspondeat: nihil sanè in hac re desiderari posse videtis, quod non Principi nostro pulcherrimum & optatissimum decus & quidem regale contigerit. Familiæ splendor est illustrissimus, & ipse laudem majorum suorum dictis factisq; egregijs retulit inclytam, non jactatione generis, neve sanguinis vetusti jure, sed suæ propriæ virtutis similis & ferè exsuperantis honore & commendatione, cuncta æstimando & definiendo. Quid dicam de parentibus? Talem virtute, meritis, pietatis Zelo, ac justiciæ jurisq; amore & studio celebrem, habuit patrem, qualem vix alia similem protulit ætas Principem bonum, literatum, Dominum IOANNEM ALBERTVM, Ducem Megapolitanum, qui sceptra suæ Reip. ita moderatus est sapienter, ut nullam Tyrannidis nullumq; impietatis vel injusticiæ speciem reliquerit, sed comitatis, benignitatis, clementiæ & mansuetudinis exempla erga suos & peregrinos etjam homines ostenderit quàm plurima. Hoc ergo patre bono, & pio & inclyto satus est noster Princeps IOANNES felicissimæ recordationis. Matrem habuit ANNAM SOPHIAM; cujus pijs manibus quo modo, pio tamen affectu, parentaverimus ante annum, recens vobis est memoria; illius magni herois & verè Patroni Ecclesiarum Borussiæ ALBERTI Ducis Illustrissimi filiam.

Celebris est ALBERTI in historijs laus, quod & primus suâ inclytâ virtute & singulari atque excellenti sapientiâ, auctoritate & prudentiâ terras Borussiæ suæ subjecit ditioni, & in familiam Marchionum Brandeburgensium hanc successionis beatæ spem introduxit. Itaque omnium & suorum hominum pariter & exterorum populorum vocibus summâ laude ob infinitas, quas illi provinciæ attulit utilitates commendatur & celebratur Princeps fortiss. & prudentiss. Vtrobique ergo & ex lineâ paternâ & maternâ augusta Duci IOANNI familiæ decora contigerunt: & proinde, felici præclarissimæ stirpis commendatione, hic plane beatus fuit Princeps.

Natus

Natus est Dux Iohannes Anno Christi 1558. Eheu vitæ quàm exiguum tempus contigit Heroi nostro verè inclyto, inquies curis miserisque morbis ocius Euro aufugit. heu quot spes hominum post se inanes reliquit! Cum jam ætate parumper Princeps noster, succrevisset non solùm mox præclaræ indolis specimen & in vultus suavitate; & in oris eleganti specie retulit, ut generosæ stirpis surculum vigentem agnoscerès facilè: sed etjam præclara honestæ disciplinæ studia tractare etjamnum puer cepit, & singulari amore ijs delectatus est, quibus & doctior & melior quotidie evaderet.

Hujus ætatis & præclari instituti dum animo interius memoriam repeto, felicitatem quasi illius beati temporis præ oculis videre videor. Oh quantum patri obortum est gaudium ex læto nuncio, qui primus renunciavit patri elegantem esse natum filium: hem gaudij major pars, quod bonam in filio indolem vidit, hæ sunt delitiæ parentum, hæc verè gaudia, si liberi Deum timent, si bonis literis gaudent, si magnificis rebus delectantur, ad cœlestia, ad verè bona & salutaria tandem respicientes. Certè quantò parentibus nativitas Ducis Ioannis bonaque & generosa indoles gratior & jucundior fuit, quantoque tota simul provincia, nato sibi novo Principe, magis gavisa & lætata est, tantò nunc luctus major omnium ex morte ejus contigit, quod in medio cursu optimus Princeps à nobis discessit, quòd spes nostra tam celeriter præcisa est, quod, cum minimè speraßemus, gubernator catus & fidelis nobis ereptus est. Spes hæc non dubia omnium nostrum fuit, fore, ut sub umbra alarum virtutis, pietatis & auctoritatis ejus diu essemus salvi & incolumes; & ab omni externo impetu conservaremur liberi: Sic ille optima & evidentissima suæ pietatis, benignitatis atque virtutis argumenta quàm plurima ediderat. Enverò quid jam? Lachrymæ oboriuntur oculis, quæ dicétem ferè impediunt. Cesso ego quidem lachrymari; Sed res ipsa non item sistit lachrymas, & plenior consideratio ipsius rei facit, ut animus ferè obstupescat. Et hæc mala publica singuli intelligimus verè domestica esse, quæ majora sunt, quàm ut vel lachrymis declarari, vel oratione exprimi possint. O stupidos nos homunciones, qui tam securo animo publica damna transimus, & non prius ea nos attingere putamus, quàm ubi nos miserè confecerint. Sed siste mens querelas, sat est attigisse.

Princi-

Princeps noſter dulcisſimæ memoriæ infans non à nutrice quadam, communi ut ſolitum eſt ſed malo more fieri, verùm ab ipſa ſua generoſa & illuſtriſsima matre ablactatus eſt, ut qui ſanguine ſatus erat illuſtri, è ſuaviſsimis atque redundantibus veræ religionis ac virtutum fontibus ex corde materno ſcaturientibus lac generoſum ſugeret, innatam puta morum probitatem & heroicam vim præſtantiſsimæ naturæ. Nec enim fruſtrà quicquam natura condidit, vel potius naturæ auctor Deus. ex ijsdem nos fieri, ex quibus nutrimur, non inſcitè dixit Hyppocrates.

Infans ergo quamvis Princeps noſter fuit, nec, quod videbat, intellexit: Tamen orationem Dominicam & cætera capita doctrinæ Chriſtianæ paucis verbis expreſſa, linguâ quamvis tenerâ, quamvis balbutienti, didicit & recitavit. Hæc fuit in infante voluptas matris, hoc levamen patris in ſummis & acerbis ſæpè malis, quæ pertulit bonus Princeps multa & varia: namque ardua privatos neſcit fortuna penates, quod ſui corporis pars, & in quo alter ipſe creſceret, Deum laudare poſſet. Siquidem & ipſe Deus Opt. Max. & benignus pater hoc ſe cultu puerilis & ineptæ laudationis magis, quàm multis holocauſtis & ſacrificijs delectari teſtatur, & hæc liberorum ſuavitas ſibi placet. Storgen enim amat, qui ipſe eſt Euſtorgus pater.

Quemadmodum ergo cor tenerum pietate in DEVM per optimorum parentum diligentem curam imbutum eſt; Sic adoleſcens nihil priùs quàm pietatis exercitia; ſic vir factus nihil antiquius, quàm religionis veræ curam habuit, eamque ſemper cæteris rebus omnibus antepoſuit: nec quicquam ſibi ante agendum putavit, quàm ſi oratione & conſuetis precationibus Iehovam compellaſſet. O pium pectus! O Princeps ſacratiſsime jam præmium pietatis cultusque divini æternæ gaudia vitæ retuliſti! O nos miſeros, quod tanto pietatis exemplo & religionis cultore, tam citò, tamve intempeſtivo tempore privati ſumus. Sic quæ interius dolet mens, non facile à querelis abſtinet, ſed progrediar

Quoniam verò Illuſtriſsimus Pater Princeps IOHANNES ALBERTVS, uti ipſe literis bonis non leviter erat tinctus & eruditus, facilè intelligebat, ſtudia honeſtarum diſciplinarum magnum non ſolùm vitæ adjumentum hominibus præſtare, veluti quæ res ſecundas ornant, & adverſis perfugium & ſolatium præbent; ſed etjam in religionis causâ & in Reip. gubernatione magnum earum uſum patere,

tum ut judicium in graviſsimis rebus feratur rectum: tum ut in deliberationibus imperij publicis ſenſa animi Princeps ipſe rectè enunciare poſsit: magnâ profectò curâ, & ſummo ſtudio Illuſtriſsimus Princeps IOHANNES ALBERTVS in id incubuit, ut à primis unguiculis noſter Princeps, qui & nomen IOHANNIS & indolem patris referebat, eleganter & rectè inſtitueretur. Hanc ego partem ætatis multis pertractare verbis ſupervacuum exiſtimo; quoniam & rationem inſtitutionis ipſi noviſtis, & qui præceptores Illuſtriſsimi Principis noſtri fuerint, viri clariſsimi ab ingenio, à virtute, ab eruditione præſtantiſsimi, Marcus Dabercuſius, Henricus Siberus, eorum nomina memoria tenetis. Quid dicam de clariſsimo viro & verè magno hujus ætatis Philoſopho, Domino Iohanne Caſelio? Quantus hic vir ingenio & doctrina, omnium conſonant voces, ut me planè ſilere par ſit. Hic vir bonus & magnus Philoſophus Iohannes Caſelius, Præceptor fuit Ducis Iohannis, & ſic fuit, ut ſuæ diligentiæ ac fidelis inſtitutionis imaginem in Principe diſcipulo impreſſerit digneq; expreſſerit. Ab his viris magnis & celeberrimis, ſingularia doctrinæ Chriſtianæ, civiliſsapientiæ, ac virtutis præcepta & exempla Princeps noſter hauſit, & grato animo hoſce primæ ætatis ſuæ informatores proſecutus eſt ſemper. Quid dubium ergo ne eſt, quin optimam hi præſtantiſsimi viri indolem, illuſtriſsimi adoleſcentis rectè informarint, inſtruxerint, & ijs omnibus artibus exercuerint, quæ ad Deum & virtutis curam ducant rectiſsimè? Nam hominum maximè heroicorum animis divinitus ſemina quædam infundi ſolent: quæ ſi bonus cultor excipiat, in bonam frugem procedere, & præclarum atque ſingulare quiddam proferre ſolent; ut ſubditi eo pariter & exteri homints uti frui poſsint, magna cum ſua utilitate & voluptate. Sin vero malus quispiam cultor illa ſemina excipiat, non aliter quàm humus ſterilis & paluſtris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus, ut peſtis Reipub. exiſtat ille, de quo ſpes ſalutis & publicæ proſperitatis concepta fuerat; ut id ipſum exemplo Caligulæ, Caracallæ, Domitiani, & aliorum fit manifeſtius. Agnoſcite ſedulam optimi parentis curam, quod non unum aliquem, ſed plures ſimul præſtantes viros filijs conſtituit, deditque præceptores, ut quod uni fortè in mentem non veniret, reliqui ſuggererent, ut in omni genere doctrinæ, ad omnes Reipub. partes rectè gubernandas Prin-

cipes

cipes juvenes instituerentur & imbuerentur, Præterea morum censorem & fidelis. inspectorem filijs adjunxit Henricum Pellican Præfectum quondam Suerinensem. Atque in commilitio Principum juvenum electissimos juvenes ingenio & morum elegantiâ præstantes esse voluit. Inter quos fuit Nobilis ac Magnificus vir D. Ioachimus de Oldenborg, qui spem virtutis, ingenij, & prudentiæ de se tunc, conceptam progressu ætatis non explevit tantùm sed exsuperavit, tanta in homine est morum benignitas, ex vera eruditione profecta: tanta mentis solertin in expediendis rebus omnibus, ut, qui quod facto opus est, facilè inveniat, & celeriter perficiat, haud facilè alium ei similem inveneris. Ideoque maxima etjam apud Illustrissimum Ducem VDALRICVM itemque molestissima Marescalli olim obtinuit munera, & etjam hodie gravissimis negocijs adhiberi solet, gratus Principibus, suavis omnibus.

Nihil planè proficit magna eruditio, si radices non egerit, & mentem item bonam perfecerit. quare Neroni mutatis post quinquennium moribus optimi Præceptoris institutio ne quicquam profuit: ô quanta humani pectoris est perversitas! Sic usu evenit, male educati & petulantes, neque laudem retinent generositatis, & esse audaces solent. Cæteroquin in nostro Principe & bona fuit indoles, & animus rectè secundum Deum & virtutem informatus ac imbutus, qui ubique tum publicè tum privatim præclara referebat humanitatis, justiciæ, ac prudentiæ opera & certissima argumenta.

Hic advertant Principes, si beatum & fœcundum contigerit ipsis matrimonium, ut primam, eamque præcipuam sobolis recte educandæ curam agant, non ut vulgari modo, sed quantò fieri potest, maximâ & vigilantissimâ operâ fiat, nevè in eam rem ullis parcant sumptibus. Multorum enim saluti, imò toti Reip. Romanæ hæc res inservit, magnoque commodo & ornamento est Et qui curam Principis rectè instituendi suscipit, ut sit optimus & præstantissimus, is compendiariam inprimis viam ingreditur, ad omnium tam familiarum correctionem, quàm urbium atque gentium, parvarum & magnarum, vicinarum & remotarum: ad quarum fortunam necessaria recidit affectio animi Principalis, qualiscunque illa sit, universarum.

Advertite animum vos juvenes, doctissimi & nobilissimi Auditores, vitam nobis, Deo Creatore, à parentibus dari scitis; ut quoties vitæ recordamini, quam ipsa natura fecit suavissimam, toties gratiam vos parentibus debere agnoscatis. Ideoque secundo post se loco parentes coli & venerari debere, Deus ipse præcepit. Sed quid est vita sine literis? vivi hominis sepultura, ait Seneca. Itaque cùm præceptores boni ac fideles animum informent, & verè nos homines esse faciant: facile intelligitis, verissimè dixisse magnum illum Aristotelem, parem gratiam parentibus & præceptoribus referri nunquam posse. Præclarum ergo & memorabile apophtegma fuit nostri Principis, quod Deo aliquoties gratias egit, quod sibi parentes pios & præceptores bonos dedisset. Cùm enim gravissimæ sæpe cogitationes animo ejus oborirentur, quantum scilicet onus, delato sibi imperio, impositum esset, ejus sustinendi & sufferendi in Dei invocatione & in præsidio literarum maxima momenta proposita esse, non obscurè intelligebat. Ita quippe naturâ comparatum est, ut quantò præstantior & excellentior est mens in homine, tantò magis solicitè suum faciat officium: & planè bonæ mentis est, ibi agnoscere culpam, ubi culpa non est. Sed redeat, unde deflexit oratio. Sic ergò Principem nostrum institutum scimus, uti ab Homero Achilles a suo Præceptore Phœnice educatus scribitur, ut esset ῥητὴρ τῶν λόγων πρηκτῆρ τε τῶν ἔργων.

Utrumque sane animi præclarum munus, usu & observatione in nostro Principe confirmatum, non defuit. Nam eloquentiæ præceptis sic erat instructus, ut & ornatè & promptè dicere utraque lingua, latinâ & germanicâ, posset. Sic porro ipsis factis excellentem suam virtutem nobis probavit, ut publici luctus & summi omnium mœroris hæc vel præcipua sit causa, quod tanto tamque erudito Principe diutius nos frui fata non siverint, qui ut consilio prudenti domi, sic justo imperio foris Reipubl. Christianæ magnam utilitatem adferre potuisset. Tanta in ipso morum gratias fuit, ut non solum virtus ipsa eleganter & modestè compositus dignitatem præ se ferret admirabilem: Sed etjam constantis, & veracis animi harmonia pulcherrima ex eo apparuit, quod adeò comis, adeò sermone blandus & humanus fuit, ut suo alloquio dedignatus fuerit neminem. Nihil ergo præclaræ majorum dignitati invidebatur, ut vel insolesceret, vel alios præ se contemneret: sed magis naturæ vim respexit, quæ parem omnium

omnium facit esse conditionem, cum ex eadem humo omnes simus creati, & in eandem humum omnes mox reversuri. Quin vero hæc omnia fortunæ bona per se æstimata, caduca & fragilia rectè putabat, & nisi virtutis splendore ornentur, nihil pensi habere non inscitè censebat, En philosophiæ virtus maxima! sibi constare posse; & nihil admirari, quod per se magnum non est, En fructus disciplinæ elegantissimæ! Nec porro dubitavit optimus Princeps, majoris ingenij cultus gratiâ, ad alias proficisci terras. Siquidem, qui multas vidit terras, multorumque hominum mores, ingenia, instituta cognovit: eum multarum sibi rerum peritiam comparare posse verisimile est Democritus interrogatus ad quid peregrinatio prodesset, respondit, vitæ frugalitatem docet. ossa quippe & thorus herbaceus famis & laboris dulcissimæ medullæ sunt, atque ut Aphricæ auster serenus est, Aquilo nubilus, præter aliarum regionum naturam: ita quidam cum regione mutant ingenium & mores.

Prudenter etjam secum reputavit, & planè secundùm sapientum sententiam Heros ille magnus, nullam esse rem, quæ magis animos honesta inducat, ac dubios & in pravum inclinantes ad rectum revocet, quàm est conversatio bonorum hominum. Itaq; & in Academijs vivit, & celeberrimos quosque lubenter in Academia Lipsensi & VVittenbergensi audivit, optimo Præceptore sene & multarum rerum perito Jobo Magdeburgense usus, multumque doctissimorum virorum consuetudine & familiaritate delectatus, eorum sibi benevolentiam comptis & elegantissimis moribus, summa cum auctoritate conciliavit, & exempla præceptaque virtutis sibi recitare lubens audivit, illud in promptu habens, veracis præceptio prodest. Nihil cyclopicæ arrogantiæ aut fastidij vulgarium hominum, in sermone, factis aut gestibus ostendens. O exemplum Principalis institutionis egregium! Deinde in aulam Electoris Saxoniæ Augusti piæ memoriæ Herois illius præstantissimi, & cujus tunc summa in toto imperio Romano erat auctoritas, morum sanctitas, & circa veram religionem promovendam solers quædam sedulitas, venit Princeps noster, ut nunquam à latere senis discedens, artem imperij moderandi, quod sibi in patria, vice patris defuncti, destinatum erat, exemplo rectius quàm Rhetorum præceptis disceret.

Interim autem dum patriâ abfuit, non in luxu, non in ocio florem ætatis consumpsit, ut jam fere studiosorum peregrinatio in anar-

chiam morum desinere solet : sed, ut semel animum induxerat, optimis artibus discendis & meditandis totus incubuit. Nam ita præclarè à suis præceptoribus didicerat, difficile esse tenere locum suum, si prudentia absit. videtur enim fortuna prospera onus esse plumbo ponderosius: prosternit equidem eum, cui impositum illud est, nisi admodum sit robustus. animi autem robur pollicetur natura, doctrina tribuit, exercitatio perficit, ut verbis Synesij Oratoris utar.

Nec verò silentio involvam, quòd, quantumvis adolescens, multas animo curas, multasque solicitudines habuerit. Res planè constat, causæ latent. Sed ita se vitâ, moribus, sermone composuerat, ut, quid animum ejus torqueret, vel planè non cognosceretur, vel admodum obscurè. Cum aliquando Dresdæ subtristior esset, & quidam ex comitibus, quos ex nobilissimis & doctissimis viris selectissimos habuit: inter quos fuit nobilis D. Ioachimus ab Oldenborg, cujus ante feci mentionem, & ut diu superstes sit, meritò omnes, quia fautor est studiosorum & patronus fidelis, optamus, qui tunc fortè aderat, ipsum rogaret. Illustrissime Princeps, quid ita alta ducis suspiria ? quid animo obversatur tuo ? illud ipsum, inquit, quod alto pectore perferendum censeo. Difficilè enim est suum vincere animum, & cum adversantis fortunæ mala torquent & asperior eorum cura mentem huc illuc rapit, sic se componere posse, ut quicquid fortuna tulerit, perferat quis fortiter, spem bonam fovens, omnia in melius tandem desitura, certè gravissimum onus est. Namque est animi motus turbati in regibus ingens. Hæc ergò meditatio animi sui vincendi laudabilis fuit in Principe nostro, siquidem animus præsagijt, quàm multa acerba in tota vita in imperio, in cæterisque officij partibus perferenda & exsuperanda essent.

Postquam verò Princeps noster justam jam ætatem compleverat, & artibus bonarum literarum & imperij tuendi & conservandi peritiâ satis instructus esse videretur, Sceptra ipsi & Reipubl. gubernandæ jura, pro ea parte regionis Megapolitanæ, quam Pater felicis recordationis IOHANNES ALBERTVS tenuerat, communi accedente tutorum & patrui sui Illustrissimi Principis ac Domini, Domini VDALRICI Principis nostri clementissimi, ac

fratris

fratris SIGISMVNDI consensu, atque omnium provincialium summis votis concessa sunt. Quæ sic ille tenuit, ut diutissimè illum tenuisse maxima omnium vota fuerint: Sic ille jura imperij administravit, tum in Ecclesia hospitium felix, tranquillum, & fœcundum ei tribuendo: tum in Repub. omnium & singulorum utilitates, causas, & commoda quærendo, decidendo, investigando, ut revera magnus & optimus Princeps suo merito appellari possit & debeat. Quid? dicamne? communis hæc quidem laus est ducum Megapolensium, sed verè magna, verè amplissima, quod adeò juris & justiciæ amantes sunt, adeò publicæ utilitatis studiosi, ut causis audiendis in publicis Dicasterijs ipsi vacare & assidere malint, quàm suis Consiliarijs, quibus etjam tutò possent, tantam rem committere. Siquidem suâ præsentiâ & vultu benigno spondent, qui vereatur, jure adversus quemcunque etjam potentem experiri eum posse, debere esse neminem; Laudabile tamen idipsum est in nostro Principe, quod præclara majorum suorum & optimi herois patrui sui exempla sequi, & nec quicquam à majoribus in eo, quod pulcherrimum atque legum custodi maximè conveniens est opus, degenerare voluerit. Vidi ego, vidi his meis oculis, testari ergo eò certius possum; Principem nostrum per integrum triduum judicio summo Suerini habito sæpius præsediisse tantâ cum attentione animi, ut ad singulas causas mihi advertisse videretur. Nec mora diuturna molesta fuit Principi, qui cum gratulatione quadam, jus & justiciam in suâ proviuciâ administrari posse, gratus agnovit. Siquidem hoc κειμήλιω & verè omnium præstantissimo thesauro multæ aliæ olim satis florentes regiones jam carent: & idcirco suam miseriam eò majorem esse agnoscunt, quò magis præsidio violentiæ sistendæ, sacrâ justiciâ privati sunt. Hunc ergo res ipsa delectabat, ut quæ extrinsecus vel ex temporis intervallo, vel ex contentione & strepitu causas defendentium acciderent, leniter ac placidè ferret.

O Principem vere pium! ô magnum justiciæ cultorem! cur te fata tam subitò tulerunt! cur nobis inviderunt? Eheu quid dicam? Nostrâ culpâ id factum est, quicquid factum est.

Totum

Totum illud tempus imperij ejus quid fuit? tranquillitas fuit cum summâ juris æquabilitate conjuncta. Quid mores hujus optimi Principis? thesaurus præclaræ virtutis. Quid vita? imago & Typus optimi Principis. Meritò igitur hunc Principem suspicimus, maximisq; efferimus laudibus, in quo tam multas excellentes & singulares virtutes perspeximus.

Vita hæc Principis nostri, si animi dotes & præclaras virtutes spectes, satis beata fuit: Si communem hominum sortem cogites, tanto difficilior vita fuit, quantò ille diligentius rationes omnium subductas perspectasq; habuit. Siquidem singulis momentis secum meditatus est, id sibi evenire posse, quod cuiquam homini evenit. Qua conditione vivamus, audite Plinium. Incertum, inquit ille, ac fragile est hoc munus naturæ, quicquid datur nobis. Malignum verò & breve etjam in ijs, quibus longissimè contigit universum hoc vitæ tempus intuentibus. Quid? quod æstimatione nocturnæ quietis dimidio quisque spatio vitæ suæ vivit. Pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingat quies: nec reputantur anni infantiæ; qui sensu carent, non senectæ in pœnam vivacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocatâ morte, ut nullum votum sit frequentius. hæc ille: Quid inde concludendum? id quod res est, & rectè dixit Eurip. ὃ βίος ἀληθῶς ἐν βίῳ, ἄλλα σύμφορα. Hæc vita nomine vita est, reipsa labor. Quis ergo est, quem extra aleam humanæ sortis esse positum dicere possimus? Quis tam parum de se cogitans est, qui non dicam ita sentire, sed saltem mente sua versare audeat, hoc vel illud genus mortis, pœnam esse? Cum à tergo mors insequens omnia rapiat. Itaque non disquirere oportet, quomodo quis deficiat, sed utrum in Deo quis mortuus sit: in eo totius rei momentum consistit. Quamobrem quantò quis sapientior est, quantò rerum omnium magis gnarus est, tanto hæc secum reputat diligentius: ut exinde rectè meditatio mortis, perfecta dicatur Philosophia. Cleombrotus adolescens Ambraciota Philosophus, cum Platonis librum, quem ille de animæ immortalitate scripserat, diligentiùs legisset, & beatiorem aliam vitam restare cognosceret, perlecto libro mox se, desiderio alterius vitæ, & ut ex hac misera vita liberaretur, se præcipitem dedit. Non idem quidem CHRISTIANO homini varijs fortunæ casibus afflicto faciendum censeo, sed potius expectandum esse, ut quâ eum Deus statione collocavit, revocet,

revocet, nec injussu Imperatoris inde recedat. Cæterùm quod necessitas, quod morbus, quod affectio mala cogit, persuadet, non est producendum in consequentiam. Eheu quam fragiles sumus omnes! qui putat se stare, en quam mox cadit infeliciter! Quis regnat fastuosè, en mox in pulvere considet mœstus! hæc divinæ majestatis sunt opera, rationi quidem humanæ incognita, justissima tamen.

Quanquam ergò animum quis habet generosum, multisque sapientiæ & virtutum præceptis imbutum, quibus vitam bene beateq; degere possit: Tamen adeò quotidiè multa & varia incidunt mala, quæ non solùm sapientissimi etjam viri pectus perturbent, ut habet proverbium, αἱ παραχαὶ περιπλέκουσι καὶ τοὺς σόφους: sed etjam sæpenumerò evertant. Nec enim leves sunt pugnæ virtutis & affectuum: Hic, hic, tu si Trophæum ponas, magnus, verè magnus es Philosophus; Maximè, si mendax ille ab initio Sathanas suas adversus te simul experiatur vires.

Quemadmodum in bellum exeuntibus nulla est utilitas: Si nudi ad hostes accedant, & postea telorum volantium unumquodque declinare velint (non enim fieri potest, ut omnia evitentur) opus est autem thorace solido, & aliâ omni armaturâ, ut etsi telum aliquod incidat, non penetrare possit. Eo modo & ijs, qui in hanc vitam procedunt, possibile non est, ut omnia declinent aut evitent, utque à nullo feriantur eorum, quæ sexcenta in unum quemque jaculatur fortuna, Sed opus est animo firmo & maximè impenetrabili nulliq; cedente. Quod haud assequemur, nisi ardens & devota ad DEVM precatio instituatur: & nisi aura divini numinis aspiret, verendum planè est, ne non solùm manus dare cogamur, sed etjam prorsus desperare. Itaque nihil est quod de virtute, de pietate, de religione multa loquaris & glorieris, hæc te experimenta ostendent, quis qualisve sis, quàm fortis quàmve syncerus Christianus. Hem beatus es, qui ignoras, qualia hæc sint tentamina, quàm aspera sint examina.

Quare qui in alto rerum fastigio collocatus sedes, caute provideas, orando, precando, obtestando, ne in illa unquam incidas. Siquidem quæ homini accidunt, eadem tibi quoque accidere posse non differis. Nihil ergo alij exprobres. Nam ultio divina mox præsto est.

Et quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse, puta.

Sic alterius historia tibi sapientiæ vim suggeret veraq; præcepta dabit.

Quoniam verò noster Princeps pietatis, virtutis & sapientiæ non simulate sed verè diligens erat cultor, singula animo altiùs evolue-bat: nec, quæ animum ejus torquerent, facilè alijs communicabat: uti sæpè ex suavi sermone magni doloris medicina adhiberi solet: inde factum est, ut si quid negocij difficilioris incideret; quemadmodum hæc tempora adferunt insperata plurima; cogitationem ejus ille susciperet altiorem, quàm vulgus hominum solet. Quocirca varias ille semper animo curas & solicitudines versabat: quâ quod non omnia, quæ cogitarat optimè, ad voluntatem suam cadebant: quâ quod tristitiæ domesticæ adjunctæ erant quædam cordis compunctiones, Siquidem hæc perpetua Christiani hominis est conditio; intus pavores, foris pugnæ.

Quid multis? inter gemitus piorum & vota salutis certissima placide in Christo obdormivit ille Princeps, qui Christi amantissimus cultor, veræ religionis defensor, & certissimus Patronus fuit. Ergò in paradyso beatam hujus Principis, Principis pij, boni, præstantissimi, animam esse, & æternâ atque jucundissimâ illâ consuetudine Dei atque conspectu salvatoris nostri Iesu Christi frui, pro certudine fidei Christianæ, nequicquam dubitamus.

Quid reliquit hic? exuvias corporis, quid? terram: quid? luctum omnibus nobis maximum & gravissimum. Dignum sanè tantâ virtute optimi & beati Herois, quamvis lugubre opus facimus, quod in honestissimo & frequenti hoc cœtu, ejus Celss. & majorum ipsius memoriam recolimus, cujus corpus, quod veri ac vivi Dei fuit habitaculum, in sepultura patrum hodie solenniter Suerini deponitur. Nihil verò est, nihil plane est, quod ejus causa mœreamus. gaudet ille se multis magnis q; malis & periculis liberatum, gaudet in perfectione esse, gaudet se tanto gaudio frui, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis unquam penetravit. Terram nobis reliquit bonus Princeps, vallem ærumnarum, in qua tamen sic tumultuamur, sic inquietè vivere contendimus, quasi perpetua hic nobis sedes futura esset. O insensati! momento fit mutatio. mox, mox, dum respicis, adest æternitas. mens verè beata, quæ æternitatis hujus adipiscendæ, in sanguine Iesu Christi purgata, in fide & veritate rationem coram tenet.

O homo verè sapiens est, qui se mori quotidiè discit, ut nunquam mortuus esse dici possit, Hæc vita differt à morte nihil, ideoq;

vix

vir pius semper mori vult. quia hujus vitæ & mortis nulla est differentia, imò transitus est mors ad beatiorem æternæ vitæ statum. Certè si alia melior vita non supereſſet, in qua bonis bene eſſet, omnium eſſemus miſerrimi. Sed eſſe credimus certè, & fides Catholica ita perſuadet. Nihil ergò mori cunctamur, nullum mortis genus triſte, nullum aſperum Chriſtiano homini videri poteſt.

Quid ergò lugemus? cauſæ ſunt plurimæ, quocunque lumina verteris, videbis luctum, luctuſq; graviſsimi cauſam. in aulam Principis converte oculos, quanta ibi ſolitudo! omnes anguli boant, eheu quantus nobis diſceſsit è vivis Princeps! miniſtri, Conſiliarij omnes taciti ſedent & ſilent, quid ita? major eſt intus in animo ipſorum dolor, quàm ut vel lachrymæ, vel ulla querela eum teſtari poſsit: Quanto enim amor erga Principem ſincerior fuit, tantò jam dolor interiùs pungit & urit acriùs. Quid filioli duo ADOLPHVS FRIDERICVS & IOHANNES ALBERTVS: proles heroica optimi & jam beati Herois IOHANNIS, baculus & præſidium hujus provinciæ mox futuri. Vbi pater noſter, inquiunt infantes, qui dabat ſuaviola, ubi eſt ille noſter papus, nonne mox reverſurus eſt, mater noſtra? quò diſceſsit? Quid reſpondes, cur taces? mater, lachrymæ prohibent, O filij, inquit, omnia enarrare, acquieſcite mea deliciola, precamini, ut vos pater docuit. an dubitas, has voces, pueriles quamvis, cor piæ matris non penetraſſe, & lachrymas cieviſſe? utique. Quid? dicamne? quantus dolor in conjugis optimæ Heroinæ pectore ſit, à cujus latere mors ſæva tam ſubitò ſuaviſsimum maritum avulſit.

Amplius quadriennio in matrimonio ſuaviſsimo non vixerant: & hoc tempore avulſit, quo auctoritate, conſilio, præſidio mariti, ſuâ ſuorumque liberorum cauſſa vel maximè opus habere videbatur. Quis feret, inquit IVSTINIANVS Imperator, liberos à parentibus, à fratribus ſorores, à viris conjuges ſeparari? At vero jam planè, qui in ſuaviſsimo vixerant conjugio, ſeparati ſunt. Hæc compunctio cordis fidelis ac caſtæ conjugis major eſt, quàm ut ulla oratio exprimere, aut ulla ratio aſſequi poſsit.

Nam vinculum non est duntaxat civile, conjugium, sed naturale est, sed divinum est: & quantò arctiùs fuit conglutinatum: tanto dissolutum insperatò angores, curas sollicitudines creat majores & vehementiores, eheu! Sed quid jam! ecce tres videre videor mulieres formâ quidem liberali & egregiâ, sed veste squalidâ & pannosa, eheu, inquiunt, quantum nobis accidit malum! religio est, ni fallor, justicia est, & illa alma, ex vestro ordine procedens, Philosophia.

Quantum spei, inquit RELIGIO, in hoc Principe posueram: nam summa in ipso erat mentis sinceritas, & perfecta virtus; ei me commendaveram: ille me in suam certam fidem susceperat, suoq; patrocinio protexerat benigne. Sermo ejus, cogitatio, meditatio ejus fuit de religione, ut ego pura puta ab omni hæresi & offensione, scandaloque in hisce rerris conservarer, & quàm plurimis populis in almâ ejus Academia ex verbo Dei rectè declarato innotescerem. Meâ etenim caussâ ordinem ille Ecclesiasticum & politicum à patre recte institutum conservavit exactè, meâ caussâ multas ille insomnes noctes duxit. Hic Princeps meus fautor, meus Patronus, meus hospes magnificus obijt, decesit, defunctus est vita. eheu! Sed pie tamen, sic enim docui illum, hoc ipsi κειμήλιον non ingrata hospes contuli, ut in corde non minùs, quàm in sermone Iehovæ nomen servaret, qui justicia ejus factus, eum proculdubio in æternam deduxit beatitudinem. Votis si quid possem, hunc Principem tam sincerâ mente verbum Dei meditantem, tàm apertâ fronte quid sentiret indicantem, superstitem esse optarem maximè, magnum ille decus mihi, religioni orthodoxæ, attulisset, magnum auctarium multis suo exemplo ad salutem eruditis, meo in Europa curriculo per divinam gratiam adjecisset, sed cum infecta mutari non possint & de voluntate Dei hoc quod factum est, factum esse sciam, ei ac lubens acquiesco; noverit ille suæ Ecclesiæ conservandæ rationes justissimas.

Sed quid tu veneranda virgo, quæ vultu severo gladium libramque tenens jus æquum rectum dicere soles, quid mœres? quid tu antistes, qui antecedis senex venerande, LEX quid luges? quid caput concutis? quid agis? Princeps mei amantissimus Dux IOHANNES obijt diem, eheu! eheu! Nonne ego flerem? non lugerem? non mœrerem? ejus ego non subsellia solùm, non judicia duntaxat, sed animum occuparam & imbueram, ut spem certam foverem,

rem, illum justiciæ & juris perpetuum & severum fore administrum, & æquitatis observatorem benignissimum. Siquidem ille cognoverat, legerat, tam è sacris juris libris quàm ex duabus decalogi tabulis, quid fœdum factu, quid fœdum dictu, quid fugiendum, quid sequendum, & sic animum induxerat suum, ut majus imperio esse crederet legibus subijcere principatum. Et ego IVSTICIA sic animum ejus informaram, ut voluntate esset certâ & constanti, & vultu severo ac gravi perinde, ac si me ipsam vidisses, judicijs ille præsidebat. Blando autem & comi ut vultu erga supplices esset, sic eum instituerat humanitas, sic præceperat Antistes throni, clementia. Eheu parcæ! fila præclari operis, heu opera præclaræ felicitatis in Repub. publicè ac privatim futuræ nimis maturè, nimis celeriter, nimis aspere præcidistis!

Ex vestro jam ordine coram, concio ornatiss. procedit illa senio confecta, multis instrumentis onerata, spem & honorem secum adferens, PHILOSOPHIA. Sed vultu planè obtecto, ut quem animo dolorem habeat, se externâ specie testari non posse fateatur. O cives, inquit, quàm vos beatos existimabam, quòd in nostris castris instructum & benè eruditum nostris disciplinis habuistis Principem, qui nostri honoris tam erat cupidus, tam studiosus, ut & ἐφέδρων vobis, nostri cultoribus, daret sufficiens; & in locum eorum, qui ad meliora fata iverunt, substitueret alios. In ejus fide & benevolentia acquiescere potuimus omnes, qui salvâ religione & administratâ justiciâ, quæ duo vitæ munia veluti muros nostri gregis tuendi & conservandi agnoscimus; Halcyonia vobis, divinâ favente gratiâ, concessit docentibus & discentibus gratissima. Hic Princeps bonus, liberalis, justus, & pater patriæ jam defunctus jacet. eheu grave malum! Eheu patriæ casus quàm acerbus! Nos timor & tremor incessit, lugemus meritò. Sed tamen quod veremur, non est. Quamdiu ille Nestor ætate, Nestor sapientiâ Nestor auctoritate, Senatus Principum Germaniæ Princeps optimus, & præstantissimus Heros, Dominus VLDARICVS vivit, utique noster grex salvus & incolumis manebit, & nostræ sorores, Religio & justicia, vigebunt & florebunt.

Quid deinceps futurum sit, quod duobus Principibus uno tempore tam subitò privati sumus, non est, quod nos anxiè disquiramus. Futura enim obscura & incerta sunt, & nullius mentis acie satis rectè perspici possunt. Optima auguremur, optima speremus, quia DEVM optimum & maximum salutis & vitæ in IESV CHRISTO auctorem & defensorem habemus. Et exinde in hæc vota erumpamus. IEHOVA, qui miranda sapientiâ universum hunc terrarum orbem condidisti & conservas: qui imperia constituisti & custodis, ut tuæ Ecclesiæ hospitium detur, & Halcyonia docentibus & discentibus verbum tuum conserventur; respice in nos, neque secundùm magnitudinem pecaatorum nostrorum nos punias, sed secundum multitudinem miserationum tuarum nostri miserearis. Da pater optime, ut puræ religionis doctrina: ut certa juris & justiciæ administratio: ut bonarum literarum studium in hac almâ Academiâ & totâ provinciâ Megapolitanâ vigeat & floreat. Conserva nobis senem Principem Illustrissimum Dominum Ducem VDALRICVM, Duces Megapolitanos Dn. CAROLVM, Dn. SIGISMVNDVM AVGVSTVM & quos reliquos nobis dedisti Principes, ne capite privati, alijs gentibus spolio & direptioni fiamus. IESV CHRISTE, Redemptor humani generis, miserere nostri. Et tu unicè Paraclete, Spiritus sancte, da fidem, da constantiam, da pacem & æternam salutem; & rege nos & conserva nos, ut hi cætus tibi placeant: & nomen tuum, IEHOVA, in omne seculum invocetur & glorificetur,

AMEN.

DIXI.

ORA-

ORATIO
Quinta.

DE SIGISMVNDO AVGVSTO DVCE MEGAPOLITANO 5. die Septembr. Anno 1600. piè defuncto.

INter omnes constat, difficile & verè arduum esse, cùm aliàs semper, tùm in publicis maximè conventibus Illustrissim. Principum, nobilissimorum atque doctissimorum hominum; qualis hic præsens est longè omnium amplissimus & augustissimus cætus; magnorum regum ac principum vitam & res gestas dicendo rectè explicare: & ego, qui omnibus fere eloquentiæ præsidijs destitutus sum, agnosco facilè, quòd in me recti sermonis ratio conformatioque desideretur. Præterea hic magnus luctus, quo omnium animos ex immatura morte Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. SIGISMVNDI AVGVSTI Ducis Megapolitani &c. occupatos video, in tanto concursu omnis generis hominum, animo meo interiùs hæc consideranti dolorem, metum, & angorem injicit vehementissimum, ut si quid dicendo alibi possem, hoc in loco planè nihil posse videar. exhorresco ergo totus, totusque expallesco. sic frigidus obsedit præcordia sanguis. Doleo, me pro dignitate loci, ut debui, copiosè & eleganter dicere non posse: doleo vicem humani generis, quòd mors sæva, sine discrimine status & conditionis, cuivis manus injiciat avaras. Condoleo patriæ, quòd Principem bonum, suavem, pium & moderatum, in medio vitæ suæ cursu ereptum, opinione celeriùs amisimus. Quid igitur mirum, me tot circumventum curis, tàmve solicitum de incerto dictionis eventu varioq; hominum judicio, adeò titubanti voce, ac membris prope omnibus trepidantibus pronunciare. ne interim dicam,

eam, quòd lumen istud divinitatis, quæ in Principibus viris emicat, mentem perstringat meam.

Scio equidem, quid ratio mandati, quo hæ dicendi partes mihi impositæ sunt, postulet, quidve Illustrissimi Principis defuncti vita honestrissimè peracta efflagitet, ut nempè eleganter & comptè dicam: sed, quæ in me est, summa ingenij tenuitas cogit fateri, & fateor ac lubenter, me non tam spe perficiendi quàm experiundi voluntate conari. atquin nisi Spiritus sancti, ad quem mentem oculosq; supplex dirigo; virtute confirmatus fuero, & nisi vestra, Principes Illustrissimi & concio ornatissima, gratia, benivolentia, atque humanitas me quodammodo sublevaverit, oportere me in ipso mox ingressu orationis deficere. Itaque ut balbutienti mihi veniam detis, etjam atq; etjam rogo.

Id planè nobis, qui & sacræ scripturæ certissimis testimonijs edocti, & varijs omnium temporum exemplis eruditi & instructi sumus, persuasum ac velut κρήπιον quoddam immotum in promptu esse debet, nihil in rebus humanis, præsertim in imperijs & cum magnis Principibus temerè aut casu fortuitò, sed divinâ gubernante providentiâ & certo Dei consilio fieri omnia. Illustrissimus ergò Princeps ac Dominus, Dominus SIGISMVNDVS AVGVSTVS Dux Megapolitanus, Princeps vetustæ gentis Henetæ, comes Suerini, Rostochiensium & Stargardiorum Dominus, non absque divina voluntate, quantumvis nobis incognitâ & impervestigabili, inter homines vivere desijt. Vita quidem omnium est velut ventus & celeriùs quàm à texente tela succiditur, ut verbis D. Iobi utar: sed tamen sortes nostræ sunt in manu Dei, &, cùm sine ejus voluntate ne capillus quidem de capite nostro decidat, quid vitam, rem omnium pretiosissimam, homini casu adimi solere dicemus? absit, ut in eam sententiam descendamus. quis igitur ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit. Non est dubium, quin SIGISMVNDVS AVGVSTVS magnum sui desiderium non solùm conjugi suæ suavissimæ, jam mœstissimæ viduæ, & Illustrissimis Principibus, socero, patruo, ad finibus charissimis, qui suo jam id luctu satis superque demonstrant, sed & patriæ reliquerit; Princeps qui fuit suavissimus. Omnes scio principes, cognatos simul & exteros, omnesq; subditos & maximè patriam, ipsi vitam optasse longiorem; in cuius fide, pietate ac imperio requiescere aliquando Respub. tutò posset.

nam

nam legitimus Princeps vel instinctu naturæ, non minus quàm Pater liberos pio affectu subditos, prosequitur curatque suos. Quid dicam de Illustrissima Domina, Dn. CLARA MARIA SIGISMVNDI AVGVSTI vidua? illane suum maritum diutius superstitem esse non optavit? quæ toties ad Deum preces, serio cordis motu, fudit pro valetudine mariti: quæ ancillares etiam operas ægrotanti præstitit? quæve nullis vigilijs, nullisq; impensis pepercit. jam verò casum suum gravissimum tam fert amarè, tam luget acerbè, tam multis lachrymis vultus suos decoros irrigat, ut aliam consolationem quàm ex sacra voce Evangelij, quod potentia Dei est ad salutem; admittere videatur nullam. Quot illa cordis sentit compunctiones! quot edit gemitus! dum secum musitando inquit, O mi marite suavissime! O dimidium animæ vitæque meæ! quod abs te jam divellor, in misera lachrymarum valle relicta. Nullum planè est arctius secundùm naturam & fidei integritatem vinculum, quàm est conjugij nexus, ab ipso Deo institutus, atq; verbo ejus sacro constrictus. itaq; dubium non est, quin dissolutio sancti illius fœderis tristissimos dolores, anxios gemitus, & acerbitates pariat adferatque quàmplurimas. En quàm mæsto vultu, quàm tristis pullâ veste indutus religiosissimus ille Nestor Germaniæ, Illustrissimus Dominus VLDARICVS Dux Megapolitanus adstat flens lugensque, unà cum cæteris Principibus viris. Quis sensum mentis ejus perspicit, qui tot funera fratrum ac patruelium vidit? quid putas, optimus Princeps secum reputet in tanta gentis Megapolitanæ clade? Certè dum ille imperij, (quod magna cum laude justiciæ & pietatis annos jam quadraginta sex administravit, suosque subditos pacis bono, concordiâq; religionis hucusq; beavit, & ut deinceps feliciter ac diutissimè beet, Deum precamur,) curam gerit maximam: ambigendum prorsus non est, quin funera hæc suorum inopinata vigilantissimi ac prudentissimi Principis animum perturbent maximè. Vidit fratris olim defuncti filium utrumq; efferri: videt, & mille animo secum versat futuri anxius curas. Duo supersunt Duces Megapolitani fratres rerum potientes, D. VLDARICVS & D. CAROLVS administrator Episcopatus Ratzeburgensis, atque ut diutissimè supersint, conjunctis votis precamur. sed senes sunt, & qui sobole masculâ hanc provinciam non bearunt. Stirps igitur Ducum Megapolitanorum in fratris eorum olim defuncti, D. IOANNIS ALBERTI nepotibus, & D. IOANNIS

D. M. filijs adhuc consistit, in D. Adolpho Fridericō, & D. Ioanne Alberto præclarissimæ indolis adolescentibus. Sed uterque flos est, adolescentia utriusque ad huc in herbis est. O præses imperiorum Deus. O, qui regna stabilis, sapientesque das gubernatores, Iesv Christe, conserva benignè juvenes duces in flore ætatis: & da ut ad longam cum patriæ salute & virtutis honore senectutem pertingant, & huic Ducatui præsint, & patriæ præsides, & Orthodoxæ Ecclesiæ antistites existentes. in hac felicitate eos precibus votisq; suorum hominum, plurimùm, pro honore divini numinis, sublevatum iri nullus dubito.

Nimis profectò gravè vulnus, O fatum inexorabile, hoc tempore attulisti, quòd abrepto Illustrissimo Principe D. Sigismundo Augusto duas simul domus principales, Megapolitanam & Pomeranicam, luctu compleviſti ingenti. Adest Princeps Illustrissimus D. Bugislaus Dux Stetini Pomeraniæ &c. auctoritate senili, pietatis studio, & moderationis laude præstantissimus; unà cum filijs Illustriss. & optimi generi mortem luget acerbè: filiæ jam viduæ vicem dolet paternè: communi patriæ condolet piè.

Vix illud, quod Augusti Principes ex morte Illustrissimi quondam Ioannis Friderici Ducis Pomeraniæ, patris patriæ, optimi & præstantissimi Principis, vulnus acceperant altissimum, patientiæ & Christianæ consolationis antidoto obductum est, en nova calamitas incidit! eò miserius affligens, quò domestica mala cor penetrare vehementiùs acerbiusq: solent. Quare non inutilis ea dicendi ratio videtur, quæ demonstret & confirmet, propter eum vitæ, in qua nunc Sigismvndvs Avgvstvs degit, statum optatissimum, non lugendi sed gratulandi: non flendi sed gaudendi modum iniri debere. Dicam ergò quis cursus, quisvè exitus vitæ Illustrissimi Principis D. Sigismundi Augusti fuerit. Deinde quæ consolationes hisce turbulentissimis temporibus maximè sint efficaces, ut mors grata, & discessio ex hoc ergastulo rata pijs sit & esse debeat. De his dum paucis dissero, ut me benignè audiatis, iterum atq; iterum rogo.

Etsi, pro lege sapientiæ & veritatis, non ex bonis externis corporis aut fortunæ; nempe quàm claro sanguine quis sit natus, quàmve dives & potens fuerit, sed ex virtute demùm propriâ actionumque suarum dignitate & utilitate homiuem æstimandum esse docemur; tamen

tamen cùm generis splendor sit quidam character animi, & nexus cum Deo & virtute, ut magno loco natus sui auctorem, suæq; dignitatis rationem semper in promptu habeat, & inde præsumptum sit, eos, qui illustri ac nobili genere sunt nati, haud facile suâ sponte delinquere: consentaneum planè est, in Principe commendando generis antiquissimi pariter & illustrissimi honorem præteriri omnino non debere. nam fortes creantur fortibus, & bonis, est in juvencis, est in equis patrum virtus; nec imbellem progenerant aquilæ columbam. quod generosum est, idem & audax & calidum est.

Patrem habuit D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS illum multis nominibus celebrem Principem ac Dominum, Dn. quondam IOANNEM ALBERTUM Ducem Megapolitanum. qui cùm artes Reipub anministrandæ præclaras didicisset, ut & belli tempora moderari, & pacis studia in concordia religionis ac disciplinarum honore tueri posset, triste suæ virtutis & auctoritatis desiderium reliquit. Sic enim ejus commendata est virtus, & eruditio, ut omnes orbis Europæi partes pervagata sit, & non solùm Germaniæ finibus continetur, sed in alijs item regionibus istius Herois celebris est memoria. Hujus optimi Principis, & præsentis Illustrisimi Dn. VLDARICI Principis nostri clementissimi, fratris ejus conjunctissimi, hoc institutum pium & laudabile est, & salutare multis jam annis fuit, & etjamnùm est subditis gratum & optabile bonum: quòd puram Evangelij doctrinam in his tetris, remotâ omni corruptelâ, in templis scholisque doceri, quòd judicia officinas instituit æquitatis, jurisq; publici exercitionem vigere & adsiduè celebrari, jus & justiciam omnibus, sine discrimine conditionis & dignitatis administrari, sanxerunt & voluerunt: & etjamnùm ita vult, & omnibus viribus adnititur laudatissimus ille Nestor Germaniæ VLDARICUS Princeps justiciæ amantissimus. O bonum pacis & justiciæ quàm augustum! quàm jucundum! quàm verè salùberrimum pijs ac modestis. at nihil refert, quod invisum sit malis ac sceleſtis hominibus; metus quos pœnæ & infamiæ in officio continet. Quæ ut nobis felicitas cum incolumi D. VLDARICO Principe nostro perpetua sit, & ad posteros sarta tecta propagetur, quâ possumus animi contentione optamus votaque nuncupamus.

Mater Sigismundi Avgvsti fuit Anna Sophia heroina illa præstantissima D. Alberti Ducis Borussiæ, magni illius victoris & restauratoris familiæ suæ filia. Avia fuit Dorothea Christiani 3. nondum satis laudati Regis Soror; Friderici I. Regis item Daniæ filia, & inclytæ illius heroinæ Elisabethæ, primæ conjugis Dn. Vldarici Principis nostri, foror.

Nihil dicam de avo Alberto: nIhil de proavo Magno, quorum laudes ad cornua lunæ suspensæ sunt, nihil de cæteris majoribus. nam si in istum dicendi campum latissimum excurrerem, tempus me citiùs quàm orationis copia deficeret, in tanta virtutum commendatione.

Natus est ergò Sigismvndvs Avgvstvs ex illustrissima prosapia, & ex parentibus laudatissimis, Suerini anno post millesimum quingentesimo sexagesimo, die 11. mensis Novembris, magno cum Reipub. gaudio.

Postquam verò ætas prima annis felicibus succrevit (quæ mox in puero quàm præclara esset indoles multis indicijs demonstravit, quòd facilè discebat, & diutissimè reminiscebatur:) non in delitijs vivere, nec efferis moribus imbui, sed quàm præclarissimè hunc commendatum doctissimis & clarissimis viris, D. Matthiæ Marco Dabercusio Rectori quondam Scholæ Suerinensis: & Dn. Ioanni Caselio illi magno Philosopho ac de re literaria optimè meritò: D. Henrico Sibero: & præfecto morum Henrico Pellicano, erudiri illustrissimus pater voluit; nulla de re diligentiorem cogitationem suscipiens, quàm de recta suorum liberorum institutione; & probè factum. nam si unus vir prudens ac Deum timens plus valet, quàm universa multitudo, quid de Principe sentiendum est, à cujus anima tot millia hominum spiritum ducunt, & à cujus prudenti gubernatione tot homines pendere videntur, quantâ illum prudentiâ, virtute & doctrinâ præstare oportet? Certè quantò majus & optabilius Dei munus est, Princeps bonus & salutaris; tantò ejus erudiendi ac instituendi diligentior ratio meritò haberi debet.

Sapienter igitur & ipse Pater Ioannes Albertvs Illustrissimus, quamdiu vixit, & mater maxime pia, post mariti obitum, ope & consilio Tutorum, D. Avgvsti electoris Saxoniæ. D. Ioannis Georgii Electoris Brandeburgensis: D. Vldarici D. M. effecit, ut filijs socij consiliorum, magistri & comites (inter quos princi-

Principem locum IOACHIMUS BASSEVITZ in Leutzow obtinebat, præpositus sedis Cathedralis Suerinensis) darentur probatissimi, qui acuerent juventutem ad studia & bonas artes nam pravis impulsoribus plurimos degeneravisse compertum est. quod etjam à Græcis summo studio servatum meminimus, ut dum puerilis ætas prona esset ad vitia, magistros adhiberent probatissimos, magnæ & expertæ virtutis, quorum convictu, & domesticis disciplinis exemplisq: formarentur. Sic Achilles Chirona & Phœnicem: Agamemnon Nestorem: Hector Polydamanta: Alexander Aristotelem: Antigonus Zenonem: CAROLUS V. Adrianum Florentinum, (qui eum bonis moribus magis quàm bonis coloribus imbuendum scitè censuit) & alij magistros habuere non pœnitendos.

Quid aliud illa Prophetæ Isaiæ comminatio arguit, Væ isti genti, cujus rex puer est, quàm ut intelligamus, malum esse pœnæ; si qui non ætate, sed ingenio, sed moribus puer est, & ad res agendas ineptus, Princeps populo detur, & effœminatus dominatum obtineat. fieri enim non potest, quin fato Reipub, ut imperitus navita excusso clavo navim: sic ille abjectà curâ pietatis, juris, & honestatis Remp. planè evertat & pessundet, uti in ROBOAM, IORAM, ANTONINO CARACALLA, GALIENO & alijs idipsum ex fide historiarum demonstratum habemus. Quare prisci illi Romani ac Germani nihil prius aut antiquius habuerunt, quàm ut suos liberos, illi quidem in armis simul & in literis solertissimè: hi in armis & morum integritate erudirent & exercent severissimè. His rebus factum est, ut Germani pariter & Romani copiam fortium ac bonorum virorum habuerint; ac perpetuam fortitudinis & virtutis laudem retulerint. An verò existimandum est, casu ita factum, an naturâ genti Germanicæ innatum esse: quòd fide & armis super omnes gentes Germani celebrantur, & propter animi fortitudinem Leones appellati fuere? minimè gentium. Doctrina & exercitatio domestica ac publica disciplina hoc effecit, ut, quod alij populi in libris eleganter conscriptum haberent, illi moribus, manibus, animisq; referrent elegantissimis, fortissimis atq; sanctissimis.

Hæc autem primæ educationis ac institutionis ratio in SIGISMUNDO AUGUSTO fuit, ut puer statim à primis unguiculis ea disceret & cognosceret, quæ pietatis continent capita precari ad Deum, venerari parentes, attendere disciplinæ, vera dicere, pauca loqui, mo-

qui, moderari iram; ut hisce rebus adsuetus ad majora, concepto amore præclarissimarum rerum, suo velut proprio motu deduceretur. Hæc est parentum voluptas, quam ex multis molestijs reliquam habent, si ex se natos bonæ frugi videant homines, in quibus ipsi paulatim deficientes reflorescere & quasi revivisscere videantur. Sed longè hæc suavitas major ac delectabilior est, si ex nobis nati grata Deo & salutaria hominibus dicant & faciant. Et planè hæc fuit mens & sententia Illustrissimi Principis D. IOANNIS ALBERTI, ut filij ejus sic erudirentur, ut quandoque magno non suæ tantùm patriæ, jus dicendo, honestaque opera designando, sed toti etjam imperio Romano multisque alijs populis præsidio, emolumento, & ornamento essent.

Satis quidem feliciter SIGISMUNDUS AUGUSTUS primas didicit artes, ut & alios latinè dicentes intelligere &, sensa animi proferre mediocriter posset: sed brevitate verborum res magnas & graves complectente semper uti solitus, suo exemplo illud Lycurgi dictum inculcans, qui verbis paucis utuntur, multis legibus opus non habent. Sed enim cùm SIGISMUNDUS AUGUSTUS naturali quadam inclinatione ad belli studia magis propenderet, arma exercere cepit, interim nihilominus Musas Gratiasq; veneratus, tum amore, tum meritis præclaris.

Prorsus pulcherrimum decus est, quando hæc in Principe harmonia perspicitur; quod & militaribus studijs delectetur, & bonos ac literatos viros in consilium admittat. nam quid valet justicia, si sola fuerit, nec fortitudinis armis defendatur? quid rursus fortitudo boni effecerit, si justiciæ bono, pacisq; studio carverit? Itaque altera sic adnexa & quasi conjuncta est alteri, ut ab invicem nullo modò separari aut divelli rectè possit. Inveneris facilè inter Lapithas, qui nobiles equites Thessaliæ fuerunt, talem quendam nobiliter natum & molliter educatnm, qui ita sentiat, & satis impudenter ita pronunciare non etubescat, ut ille apud Plutarchum se equi hinnitum pluris facere dixit, quàm clarissimi Musici cantum: & doctos viros censeat perniciem esse publicam, & urbe pariter ac orbe ejciendos. Hæc fuere Neronis, Caligulæ, Commodi, tyrannorum dicta & instituta. ecquid verò arguunt aliud, quàm eos, qui ita sentiunt, imperitiâ sua occœcatos nec verum à falso discernere, nec vim imperij intelligere. quod multò rectiùs sententijs, consilijs, prudentiæque præceptis quàm

viribus

viribus & velocitatibus continetur & conservatur. Noster autem Princeps SIGISMUNDUS AUGUSTUS omninò aliter animatus fuit, qui non minùs literis honorem, quàm armis utilitatem & dignitatem tribuebat Sed interim tamen abusum, qui non ex rei subitantiâ sed hominum malitiâ accidere solet, utrobique damnavit. caute. nam id prudentis est viri, rerum momenta rectè intellexisse & discrevisse. Siquidem arma viribus constant, quæ nisi consilio rectè moderentur, res dubia & immanis ac oppressura videntur, nisi opprimantur. illis ergò omnis vis & auctoritas Reipubl. gubernandæ tribuenda non fuit. Eruditio iiem præclarum quidem in homine decus est, si ad bonum publicum dirigatur, atq; si comites, veritatem & justiciam cum sanctitate vitæ conjunctam, habeat. Sed si his præclarissimis rebus caruerit, versutia reverâ, non sapientia appellanda est, quæ tantò nocentior generi humano esse solet, quantò in homine impotentioris animi maior fuerit Equidem Cleon eloquentissimus Remp. evertit Athenienſium. Tib. & C. Gracchi fratres clarissimi & disertissimi Remp. turbarunt Romanam, effeceruntq; per sui ingenij acrimoniam, ut excitatâ civili discordiâ, veluti veneno per omnes Reip. partes effuso, ut quoties foris Pop. Romanus hostem non haberet, domi inveniret longè pernicioſiorem, quàm vel Pyrrhus olim, vel Hannibal unquam fuisset.

Cùm autem SIGISMUNDUS AUGUSTUS adolevisset, & ἀρ' ἀκμὴν ætatis constitutus secum prudenter reputaret, quàm insolentes sint adolescentiæ calores, & quàm minimè quieta humorum agitatione mens juvenum esse soleat, non suo arbitrio, sed ad exemplum eorum, qui auctoritate, usu rerum, & dignitate præcellerent, vitam componendam censuit. In aula ergò Illustrissimi Principis Dn. AUGUSTI Ducis Saxoniæ, Electoris imperij, avunculi sui magni: ad quem etjam antea juvenis admodùm consilio Illustrissimi patrui deductus fuerat; rursus per triennium vixit, ut, qui Elector summæ inter omnes Principes dignationis atq; orthodoxæ religionis restaurator & conservator fuit, ab eo veram gubernandi imperij rationem exemplo & vivâ voce efficaciùs quàm aliorum præceptis disceret. Deinde domum reversus patrui sui Illustrissimi Domini VLDARICI vitam, mores, & instituta æmulatus est. quem & usu rerum prudentissimum; justiciæ laude celeberrimum: judicijque gravitate sapientissimum: & in omnibus actionibus mo-

dera-

moderatissimum, apud omnes haberi & commendari vidit: cujus vita censura est, cujus studia & instituta perpetuæ belli pacisq; meditationes sunt (nam in pace de bello cogitandum est, & imminentibus belli periculis, de pace deliberandum: cujus deniq; tota gubernatio ad veterum Heroum laudem proximè accedere videtur. O dulce consortium! O germanæ virtutis studio constabilita nexuque sanguinis conglutinata amicitia! Ille eum patrem appellavit, patrisq; loco habuit semper. & rursus optimus Princeps illum filij loco habuit, & dulcissimâ appellatione dignatus est, & quocunq: locorum proficiscebatur, comitem hunc secum habuit, dictis factisq; (nam quod Princeps agit, præcipere videtur) illum erudiens, ut suo quandoq; loco & tempore successorem, & patria prudentem ac moderatum haberet gubernatorem.

Hæc pacis fuere studia, conservatio puræ & orthodoxæ religionis: diligens auditio verbi divini: causarum exacta cognitio: juris & justiciæ administratio: oppressorum defensio: superborum depressio. Meditatio porrò belli, fuit venatio, quæ suis non caret molestijs & laboribus, sed quia voluptatem adjunctam habet, illi nec sentiuntur quidem. ex qua re fit, ut consuetudine sufferendi quascunq; molestias, durum martis opus suâpte sponte viri illustres ac nobiles discere & ferre incipiant. maxime quibus hæc animi certa inductio exemplis præceptisq; priscorum Heroum confirmata est; longè satius esse fortiter dimicando in bello cadere, quàm turpiter fugam capessendo vivere. etenim claritudini sanguinis & majorum dignitati nihil tàm est adversum, tamve inimicum, quàm si quis sic vitam instituat suam, ut nihil in se animi, nihil virtutis, nihilque nervorum esse demonstret. de quo idem dici posset, quod Trebellius Pollio de Valeriano secundo scriptum reliquit. Nihil habet prædicabile in vita, nisi quod nobiliter est natus, & molliter educatus. & non inscite Sclerias apud Stobæum dixit; multi mortalium præ se ferunt nobilitatem in vultu, quorum tamen animus ignobilis & minùs generosus reperitur.

Verùm enimvero SIGISMUNDUS AUGUSTUS id laudabiliter fecit, quod exemplo patrui sui, à cujus latere nunquam discesserit, ita animum induxit suum, ut ijs sese artibus exerceret & instrueret, quæ utrique Reipub. tempori profuturæ essent: ut si in bello cum hoste foret dimicandum, scitè arma tractare posset: sin in pace Respubl. administranda esset, justiciam & æquitatem, (scutum quæ est omnis impe-

imperij inexpugnabile,) tueri & conservari nosset. O pulchrum institutum! ô dignum imitatione omnium hoc studium elegans, pium, & salutare! Sic ille portas Domino justiciæ aperire voluit, quod nihil aliud est, quàm virtutum præclarissimarum præsidia in promptu habere.

Deinde, ut ipsis rerum argumentis demonstraret, quàm esset justiciæ amans, quàm æqui & boni studiosus, quàmve graviter adulatores & delatores omnes odisset, vilissimi etjam cujusq; hominis causam lubens audivit, & ad patruum Illustrissimum Ducem VLDARICUM (penes quem juris dicendi auctoritas semper fuit & etjamnum est) retulit: pro justicia caussæ sæpè intercessit, precesq; multorum suâ rogatione & auctoritate adjuvit & promovit.

Nec passus est sibi adulatorum vocibus persuaderi, quominùs suavem & comem se omnibus præberet: nec enim à dignitate Principum id, quod virtutis proprium est, alienum videtur: imitatus in eo magnorum & sacratiss. Imper. illustre exemplum. Nam Hadrianus Imper. in colloquijs humillimorum civilissimus fuit, & detestatus est eos, qui sibi hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes fastigium Principis, inviderent. Alexander autem Severus laudatissimus ille Imperator, cùm ei Mammæa mater objceret nimiam civilitatem, mol liorem, inquiens, tibi potestatem & contemptibiliorem imperij fecisti, ille respondit, sed securiorem atque diuturniorem. Et sic quidem SIGISMVNDVS AVGVSTVS ex antiquissima regia gentis Henetæ prosapia oriundus se indies magis magisque præclarè reformabat virtutibus. Deinde oblatâ occasione, anno octuagesimo secundo, una cum illustrissimo patruo suo AUGUSTAM, ad indicta ibi comitia imperij profectus, in familiaritatem præcipuæ auctoritatis Principum se insinuavit, coramq; multa & audivit & cognovit memorabilia, imprimis illam cordi suo infixit sententiam, quæ tunc divulgari cepit, vocem Ducis VVirtenbergici: omnibus thesauris gazisq; præstare, si Princeps in subditorum suorum fide & benevolentiâ acquiescete & tuto in cujusque sinu caput reclinare posset. Est quidem hoc Ducibus Megapolitanis veluti adgnatum decus humanitatis, comitatis, & affabilitatis, ut quemvis etjam humillimum lubenter audiant & benigno responso dignentur. sed exemplo aliorum item heroum in re tam præclara magis magisq; confirmantur. Deinde & in Daniam ad magnum & in omni terrarum parte celeberrimum Heroem D. FRI-

SERICUM 2. Regem Daniæ eum Illustrissimus patruus deduxit, ut fortissimi item & justiciæ amantissimi Regis familiarius sibi conciliati dicta factaque cognosceret & æmularetur. En sapientiæ & virtutis exempla!

Posteaquam maturâ jam ætate esset, ijsque studijs, quæ Principem cognovisse decet, satis instructus: conjugem duxit, Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. BUGISLAI Ducis Pomeraniæ, filiam formæ pulchritudine, generis claritate, virtutum decore præstantissimam fœminam. non absque magna caussa SIGISMUNDUS AUGUSTUS, cum vicinis Pomeraniæ Principibus jure adfinitatis conjungi voluit. nuptijs die 7. Octobr. Anno 93. celebratis, deinde post, die 15. eiusdem mensis, solenniter domum Ivenacum deduxit suam dilectissimam CLARAM MARIAM. Etenim Pomeraniæ Duces non solùm familiæ item antiquissimæ dignitas, & in imperio auctoritas commendat: sed etjam vetus illa & perpetua familiaritas, quàm inter se utriusque gentis & regionis Domini multis ab hinc seculis coluerunt, amoris germani vim continet. quare & Illustrissimus Princeps Dn. VLDARICUS ex eadem familia Pomeranica Illustrissimam ANNAM secundam uxorem ducere non dubitavit. ANNA est mater pauperum, solatium miserorum, nutricia Ecclesiæ, & verè ταμιεῖον τῆς ἀρετῆς γενναῖα γυνὴ, & ubique suæ pietatis laudem refert maximam. Quid dicam de Illustrissimo Principe Dn. PHILIPPO Duce Pomeraniæ, filio optimi Ducis BOGISLAI, qui cum ante satis syncere Dn. SIGISMVNDVM AVGVSTVM dilexisset, ad finem tamen deinde sibi factum longè impensius amavit, amicitiam servat, quod proportione respondet. Vterque igitur literarum amans. (Sed Dn. PHILIPPUS, ne quid dissimulem, adeò eleganter, adeò perpolitè bonis literis, artibus ac disciplinis instructus est, ut ad veterum Heroum exempla proximè accedere intelligatur) uterq; igitur sui amoris vim virtute & constantia constituit & confirmavit. Itaque qui ex immatura morte D. SIGISMUNDI AUGUSTI dolorem conceperit gravissimum, hunc inter adfines vel præcipuum esse non dubitarim. nam alter idem est amicus. dividi ergò quem à seipso, heu quàm grave! quàm reverâ molestum est.

Toto autem conjugij tempore SIGISMUNDUS AUGUSTUS adeò suaviter & jucundè cum sua suavissima conjuge CLARA MA-

RIA

RIA vixit, virtute clarâ, casti pudoris decore clarâ, beneficentiâ erga omnes clarâ, ut major turturum concordia esse non posit. Hæc claritas omnem revera sanguinis claritudinem vincit. mentio mariti nunquam fit, in quam lachrymarum fons non exundet, quibus illa faciem suam roseam humectat mœsta, lugens silensque. Sed pietatis suæ hunc fructum sentit uberrimum, quod consolationem vivam ex verbo divino capere suoque altissimo vulneri antidotum patientiæ ipsamet componere possit. Vnum tamen huic suavissimo conjugio abfuit bonum, proles nempè optata, proles sol conjugij. Sed in liberis tollendis nihil judicio tollentium fit, tota res voti & merum Dei donum est.

Quæ reliqua vitæ instituta præclara in SIGISMUNDO AUGUSTO fuerint, silentio involuenda non sunt. Quanquam universæ regionis imperium, habenas rerum feliciter tenente Illustrissimo VLDARICO Duce Megapolitano, non habuit: quibus tamen populis præfuit, apud eos auctoritatis & justiciæ, cum dulcore misericordiæ & æquitatis conjunctæ desiderium reliquit, & sic reliquit, ut pastores Ecclesiarum, quibus ille reditus auxit & integros servavit, laudibus eum in cœlum ferant & animæ ejus benedicant, & cives atque agricolæ, qui sub ejus dominatu rem fecerunt, de tam bono Principe sibi tunc gratulati, jam mærent, benignitatis illius memoriam recolentes. Spem tamen bonam alunt, fore, ut ejus successores exemplum sint secuturi. Hic ergò Princeps legitimus in cordibus subditorum vivit, atque etjam post obitum victurus est apud omnes posteros, relictâ immortali post se virtutis rerumq; gestarum memoriâ

Nero quidem ille tyrannus nulli delegavit officium, ut non adjecerit, scis quid mihi opus sit: &, hoc agamus, ne quis quidquam habeat. Sed hoc non jussit SIGISMUNDUS AUGUSTUS, nec reliqui principes Megapolitani ita fieri permittunt, qui suas dispositiones vendi ne quidem æquo animo perferunt. Interim tamen multi eorum qui officia administrant, ejus vocis, scis, quid mihi opus sit, benè memores sunt, sed non de omnibus loquor, & exinde præfecturas sibi commissas non ut rem Principis, sed ut rem privatam habent, affliguntq; plus æquo miseros colonos. Memorabile ergo est dictum SIGISMUNDI AUGUSTI, cùm præfectus quidam de rusticis querelas ad Principem detulisset, quod contumaces essent, ijsque se boves cooperarios adimere

 velle

velle dixisset, respondit Princeps, si tu ijs ademeris boves, ego te ad aratrum jungam. hoc laconismo demonstrans, omnia ad vivum resecari non debere, nec pro libidine animi in miseros rusticos sæviendum esse. Quemadmodum enim in fidibus si quid discrepat, non abrumpis per iracundiam, sed paulatim reducis ad concentum: sic quoque par est, ut, quæ sensibus insunt, docendo magis quàm jubendo, monendo quàm minando vitia tollas.

Deinde SIGISMUNDUS AUGUSTUS, ut cæteris suæ administrationis velut lex quædam proposita ac Principis sententia explorata esset, hanc vocem symboli loco sæpe repetere solitus fuit. Ich wil kein vnrecht leiden / wil es auch niemands zuthun verstaten / h. e. nec patiar injuriam, nec à quoquam fieri admittam. Quid enim magis illegitimum, quàm quod injustum est. siquidem injusticia eæ turpissimæ inæqualitatis opifex. Hæc vox magno Principe digna, congrua est illi CHRISTI præcepto, quo Tiberius Imper. plurimùm delectatus est, illudq; publicis operibus insculpi jussit: Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Deinde SIGISMVNDVS AVGVSTVS hoc suo dictio innuit, quod pulchrè dixit Arnobius, qui patitur peccantem peccare, is vires subministrat audaciæ. Hæc verò dicta factaq; memorabilia ex quo fonte processerint, operæpretium est scire, hoc in morc solenni D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS positum habuit, ne ullam rem seriam, sive ea ad curam corporis, sive ad rei cujusdam administrationem pertineret, ante agendam vel ipse susciperet, vel alijs mandaret, quàm preces suas, quas devotè ad Deum fundere solebat, absolvisset. itaque cùm in suo gravi & periculoso morbo Medicus Dn. VVILHELMUS LAURENBERGIUS vir excellens, ut ex ipsius sermone accepi, maturiùs manè obtulisset poculum, recipere id ante noluit, quàm absolutis suis precibus. post demùm sumpsit dicens, das Gebett muß vorgehen / sonsten werckt die Artzney nicht. sapienter rectèq; pietatis priorem & potiorem habens rationem quàm valetudinis. namq; per studium divini cultus & gratiarum actionem puri reddimur ab iniquitatibus, & abstergimus vitæ sordes, contractas vel verbis vel operibus. Attendite vos ἄθεοι, qui multos dies sine precibus præterire sinitis, & vel genua creatori vestro flectere, vel composità mente Salvatorem compellare erubescitis, tan-

tis, tantùm abeſt, ut à metu divinæ majeſtatis pendere velitis. O rem indignam! O impietas quàm cæca es! At vero noſter Princeps rectè cognovit, precari ad Deum. eſſe cum eo colloquium inſtituere. legere autem verbum Dei, eſſe attendere Deo in nobis loquenti, quid agendum, quidve fugiendum ſit. O quàm mirabilis divinæ gratiæ communicatio! quàm ſalutifera hæc pijs animabus animi attentio! Atque ut hujus memorabilis facti argumentum quoddam vobis demonſtrem, ex fide digno viro audivi D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM non ſolum Pſalmos Davidis diligentiſsimè perlegiſſe & plerosque memoriâ (quâ erat tenaciſsimâ) recitare potuiſſe, ſed ex ijs quoque piam meditationem inſtituiſſe. Vidi etjam librum Illuſtriſſimi SIGISMUNDI AUGUSTI benè attritum & aliquoties ab ejus Celſs. perlectum, adſiduæ & attentæ lectionis quod eſt argumentum. An verò tu putas, magnos Principes & terrarum Dominos ſummis carere curis, anxietatibus, moleſtijs, quibus quotidiè exercentur, & in quibus medelam ex pietatis ſtudio eos quærere oportet? Vtique tu, qui extrinſecus ex pulchra facie rerum omnia æſtimas, id negabis. Sed quamobrem Philippides vir clariſs. apud Lyſimachum regem familiariter deprecatus eſt, ne ſecreta ſua ſibi impertiret? ſiquidem quàm perplexa, quàm verè triſtia & difficilia eſſent, pernovit vir ſapiens, Cur Antigonus rex Aſiæ affirmare non dubitavit, ſi homines intelligerent, quot curas & moleſtias imperij poteſtas adjunctas haberet, diadema & ornatum regium ne quidem de humo tollere dignarentur?

Iam verò in elegantiſsimo illo Pſalmotum libro amuleta Spiritus Sancti voce & efficaciâ cujuscunque generis dolori & afflictioni opponenda continentur, liber pro utilitate rerum & pondere ſententiarum pharmacum animæ rectè appellatus. Sed tamen vim Pſalmorum non niſi coanguſtata mens & conſcientia multum anxia intelligit & perſpicit.

Duabus ergô rebus potiſsimùm efficitur, ut & officij curas ſuſtinere, & benè beateq; homo vitam inſtituere & agere poſsit, attentâ nimirum divini auxilij invocatione, & diligenti ſacræ ſcripturæ meditatione. à qua cogitatio mortalitati, ſapientiæ ſtudium, animæq; præſidium, abeſſe non ſolet. Hanc vivendi, honeſteque agendi ra-

tionem pulchram & utilem exemplo SIGISMUNDI AUGUSTI discamus & in opus producamus. fructus, me Christe, fidei in Deum fixæ, conscientiæ in nobis bonæ, actionumque erga proximum honestarum consequetur uberrimos & felicissimos. Magna quidem sapientiæ vis est, ex se suisque consilijs omnia rectè disponere & peragere posse, sed cùm unus homo non videat cuncta, laudabiliter id fecit SIGISMVNDVS AVGVSTVS, quod ex sui animi arbitrio nihil, sed perpenso demum consilio, & adhibitis nobilissimis ac clarissimis viris res quaslibet peragendas censuit. & à consilijs habuit nobilem HENRICUM à BVDOW, & clariss. virum HAIONEM à NESSA, cujus item operâ in visitandis Ecclesijs usus est. nam sæpenumero pastorum mores & genus doctrinæ inspiecre, utile simul & necessarium est, ne vel boni cum gemitu egentes officium faciant, vel ociosi ventres cum damno salutis multorum alantur. Tit. Antoninus Pius Imper. multis salaria subtraxit, quos ociosos videbat accipere, dicens, nihil esse sordidius imo crudelius, quàm si Rempub. ij arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Hoc exemplum quando CHRISTIANI Principes in visitationibus scholarum & Ecclesiarum sequantur, nihil utique iniquè statuere videntur.

Hæc item in SIGISMUNDO AUGUSTO moderatio animi laudabilis est, quod celeriter quidem ira accendebatur: sed tamen ratio mox eam vicit, ut ipso momento mutatus à se visus fuerit, & sæpenumerò, quod in ira dixerat, suâ sponte correxerit. hoc ipso testatus Poetæ dictum: & faciles motus mens generosa capit. Duabus quippe naturis homo velut indutus est, quarum altera brutæ similis est, corporeis sensibus & adfectibus adfinis, quæ sæpe præcurrit evertitq; hominem. altera λογιστικὴ est, quæ appetitum suo moderamine regit & cohibet. Itaque magna in nostro Principe virtutis vis & significatio perhibetur, quòd cito modum isti affectui, qui suâ naturâ pertinacissimus est, imponere potuerit.

Liberalis etjam & magnificus fuit, quoties id vel dignitas hospitium, vel necessitas ita efflagitabat, cetera comparcere sua solitus. liberalis tamen erga amicos, beneficus erga pauperes fuit; adeo ut sibi volupe fuerit, Studiosis egenis atque exsulibus aliquod Principe dignum munus contulisse: nefas esse existimans, si quem tristem sine quodam solatio ex sua aula dimisisset. Itaque sapienter in sermonibus

nibus apud suos, animi sui integritatem professus dicere solebat; Was habe ich mehr als einen guten Namen davon. O verè bonus Princeps, cui salus subditorum & perpetui sui nominis memoria cariora, quàm omnium fortunæ bona fuere! Prudens sanè hæc animi informatio est, sic Princeps & alius quicunq; in fastigio dignitatis constitutus est, ita secum reputet: homo cum sim, non est æquum, ut majestatem tragicam in me recipiam, continebo me intra naturam meam, nec transgrediar ejus terminos, assuefaciam potius mentem humanitatis affectibus, non solùm propter incertas fortunæ vices mutantis lætis tristia, verum quia sic decet, etjamsi felicitas maneat perpetua, non obliviscì conditionis suæ.

Cum Illustrissimus Princeps morbum, nescio ex qua caussa contractum, difficilem & periculosum ope & consilio medici alijsque à natura inventis & traditis medijs curari vel tolli posse existimaret, ad thermas Carolinas una cum conjuge profectus est. Profuit quidem illa medicatio aliquantulum, sed fati viam divinitus destinati sistere non potuit.

Quum ergò post deinde majores quotidie dolores, veluti mortis prodromos, sentiret, id operam dedit inprimis, ut animam à peccatis liberaret, & eam puram in meritis & sanguine Iesu Christi suffultam & lotam, ubi decretorius dies venisset, Deo Patri offerre posset. atq; ex hac diligenti pietatis & fragilitatis suæ meditatione id consecutus est, ut & horam mortis prædicere potuerit, & placidè naturæ fatoq; concesserit. Quamvis verò aliquot diebus magnitudine dolorum victus non facilè quenquam præter aulicos ministros in colloquium admiserit, & inrerim in precibus ac quiete animi perdurarit, tamen justo tempore pastorem confessionarium suum Dn. THOMAM SEVENAM ad se accersiri jussit, gravissimosque cum eo sermones de sua pœnitentia ejusque fructu, de consolatione Evangelij, de animæ in paradisum emigratione, & æterna sanctorum beatitudine instituit. Cùm autem Pastor accuratiùs, quæ vera demum peccati cognitio esset legem divinam interpretando explicaret, & quidam aulicus bono studio rem Principi gratam facturus sermonem istum interpellaret; & subijceret, pastorem non tàm horribilem legis quàm dulcem Evangelij vocem inculcare debere; Princeps argutè respondit. Eines muß beum andern sein / ac si diceret, Evan-

Evangelij vim non sentit cor hominis, nisi horrida vox legis illud coanguitaverit & velut contriverit. tunc omnigena suavitas Evangelij suâ vividâ virtute demum sentitur. Sic Theodosius Imperator pœnitentiam agens supinus in terram cadens & supplex humili voce clamavit ad Deum. adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

Cùm SIGISMUNDUS AUGUSTUS die 5. Septembr. Eucharistiam sacram purâ mente magnaque cum animi devotione sumpsisset, vires corporis ejus nonnihil refocillatæ videbantur. itaque oblatas sibi à nobili quodam literas subsignavit: sed addidit, jam porrò deinceps non sigillabo. & exinde sese velut ad somnum composuit, & aliquandiu quievit; integrâ mente omniq; sensu sibi constante. intra horam noctis decimam & undecimam cubiculario suo jussit, ut se in alterum latus verteret, quo facto gemitum altissimè ducens dixit, Nun wil ich mein Leib vnd Seel dem Herren bevehlen / h. e. nunc animam & corpus Domino commendabo, & hac piâ voce prolatâ & in sæpius iterata assertione, se fide Christum apprehendisse, & constanter ejus gratiam tenere, placidè obdormivit. Quid verò hæc vox extrema pia aliud declarat, quàm si dixisset, anima mea revertere ad requiem tuam, quia Iehova beneficit tibi. & quòd certus de resurrectione corporis fuerit? En fructus pietatis Christianæ quàm uberrimus! quàmve pulcherrimus!

Non ergo dubium est, quin Pater ille gratiæ & Veritatis, cui Spiritum suum commendavit, animam ejus in manus suas receperit, & in gaudia Paradisi per sanctos Angelos deduxerit. Sic finem vivendi fecit Illustrissimus D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS, sed jam demum in cælo recte vivit, omni cura, dolore & anxietate liberatus. Iam ipsam S. S. Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate videt & intelligit. Iam inter Sanctos Patriarchas, magnos illos Heroas, defensores & confessores puræ religionis, gaudet & sibi gratulatur. Iam patrem, matrem, fratrem cæterosque majores in æterna beatitudine videt, cum ijs & sanctis Angelis in

æter-

æternum victurus. Quis ergò tam excors, tam parum de certitudine religionis nostræ cogitans, qui vel luctu nimio, vel contrario voto hanc ipsi beatitudinem invidere, vel hujus vitæ miserias isti felicitati anteponere velit? puto fore neminem. Eadem nobis omnibus lethi terenda via est, sive mox, sive paulò post eam ingrediamur. nam amicos, parentes, cognatos, conjuges, fratres præmittimus saltem, mox eos secuturi.

Et quamobrem (ut paucis alteram orationis partem attingam) statum defunctorum lugemus? caussa planè nulla idonea videtur. nam nihil opus est lugere, naturæ quæ fiunt legibus: grave est nihil homini, quòd fert necessitas. Deinde quid boni affert vita longa? scilicet ut plura & graviora mala audiamus, videamus, faciamus, experiamur, & diutius torqueamur. Atque si cum æternitate compares hujus vitæ tempus, nihil inter breve & longum invenies discriminis. punctum est, quod vivimus & puncto etjam minus. Quare cùm multis quotidiè periculis ipsique adeò morti singulis propè momentis vitam nostram propositam esse sciamus, nihil utique rectius honestiusq; factu est, quàm ut de alia meliori æternaq; vita solliciti, hanc diligentem cogitationem suscipiamus, ut terrenis & caducis rebus omnibus neglectis ad cœlestia bona aspiremus, omnique loco ac tempore, veluti milites in acie constituti, retinentes fidem & bonam conscientiam sic meditemur, fortè hodie tibi emigrandum est, fortè item judex venturi seculi aderit. O præclarum institutum ex sapientis præcepto promanans, memorare novissima & nunquam peccabis! Atque si hæc animi tui pia fuerit inductio & diligens perpetuò meditatio, quòd non longitudo temporis, sed pietas, vitæque sanctitas, honestum, & fidei in Deum πληροφορία vitæ mensura sit; certè nihil tam acerbum eveniet, quod non patienter sufferes, nihil tam grauiter ani-

mum percellet tuum', cujus vincendi brevi mox secutura melioris vitæ commutatio spesq; æternitatis modum viamque non ostendet expeditissimam. Quapropter DEO Opt. Max. gratias quas possumus, agamus maximas, quòd filium suum nobis miserit salvatorem, ejusque veram agnitionem, virtute Spiritus Sancti nobis communicaverit, ut quantumvis de vitæ nostræ tempore simus incerti, certi tamen de salute esse possimus. quodque hac corporis mole depositâ in æterna cœli gaudia transferimur, quotquot IESUM CHRISTVM fide certâ, pietate non simulatâ speque firmissimâ apprehendimus & in eo obdormimus. Ipsumque precemur ardentibus votis & gemitibus, ut puram Evangelij doctrinam, quæ tot & tam mirabiles sui effectus in Principibus viris atque in privatis ostendit, ab omni hæresi & tumultu civili sartam tectam, pacem item perpetuam & libertatem à se hactenus datam conservet in hisce & in finitimis terris ac regionibus. Et pios Principes ac Dominos D. VLDARICUM Principem optimum & præclarè de Ecclesia ac Repub. meritum: ejusque conjugem ANNAM virtutum omnium matronalium vivum quæ est exemplar: cæterosque duces Megapolitanos:

Illustriss. item Dominos Dn. BUGISLAUM Principem venerabilem: ejusque Celss. filios D. PHILIPPUM, & D. FRANCISCUM aliosque magnæ virtutis, justiciæ & pietatis cultores ac religionis orthodoxæ defensores, quàm diutissimè in bona valetudine & rerum omnium prosperitate salvos & incolumes protegat, conservet & tueatur.

Illustriss. item viduæ D. CLARÆ MARIÆ jam mœstissimæ in hoc summo luctu & mœrore suo veram & efficacem consolationem, virtute Spiritus sancti sui, impertiat, ut se divinæ voluntati, omnia suo modo dirigenti & moderanti, reverenter & patienter subjiciat.

Benignus

Benignus etiam Pater Iesu Christi Iunioribus Principibus D. ADOLPHO FRIDERICO, & D. IOANNI ALBERTO Ducibus Megapolitanis quâ nati & educati sunt, bonam indolem, eorumque matrem Illustrissimam Dn. SOPHIAM conservet; ætati & virtuti eorum det incrementum, eosque idoneos & salutares patriæ ac Reipubl. gubernatores efficiat, ac clementissimè foveat atque dirigat Spiritu sancto suo,

AMEN.

DIXI.



Rostochij, excudebat Stephanus Myliander.
Anno 1601.

Impensis Laurentij Alberti, civis & Bibliopolæ Lubecensis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0100
DFG

nibus apud ſuos, animi ſui integritatem profeſ
habe ich mehr als einen guten Namen davon. C
cui ſalus ſubditorum & perpetui ſui nominis
omnium fortunæ bona fuere! Prudens ſanè h
ſic Princeps & alius quicunq; in faſtigio dignit
ſecum reputet: homo cum ſim, non eſt æqu
gicam in me recipiam, continebo me intra na
grediar ejus terminos, aſſuefaciam potius me
ctibus, non ſolùm propter incertas fortunæ v
ſtia, verum quia ſic decet, etjamſi felicitas m
liviſci conditionis ſuæ.

Cum Illuſtriſsimus Princeps morbum, n
tractum, difficilem & periculoſum ope & co
natura inventis & traditis medijs curari vel to
thermas Carolinas una cum conjuge profect
illa medicatio aliquantulum, ſed fati viam d
non potuit.

Quum ergò poſt deinde majores quotidi
prodromos, ſentiret, id operam dedit inprin
catis liberaret, & eam puram in meritis & ſa
ſultam & lotam, ubi decretorius dies veniſſet,
ſet. atq; ex hac diligenti pietatis & fragilit
conſecutus eſt, ut & horam mortis prædicere p
ræ fatoq; conceſſerit. Quamvis verò aliqu
dolorum victus non facile quenquam præter
loquium admiſerit, & interim in precibus ac c
tamen juſto tempore paſtorem confeſsionari
MAM SEVENAM ad ſe accerſiri juſsit,
ſermones de ſua pœnitentia ejusque fructu, d
lij, de animæ in paradiſum emigratione, & a
tudine inſtituit. Cùm autem Paſtor accurat
peccati cognitio eſſet legem divinam interp
quidam aulicus bono ſtudio rem Principi grat
iſtum interpellaret & ſubijceret, paſtorem
gis quàm dulcem Evangelij vocem inculcare
gutè reſpondit. Eines muß beim ander

bat; Was
Princeps,
ora, quàm
matio eſt,
is eſt, ita
atem tra-
nec tranſ-
tatis affe-
lætis tri-
a, non ob-

auſſa con-
alijsque à
naret, ad
it quidem
ati ſiſtere

uti mortis
m à pec-
hriſti ſuſ-
ferre poſ-
tatione id
cidè natu-
gnitudine
ros in col-
erdurarit,
. THO-
e cum eo
Evange-
um beati-
demum
caret, &
ermonem
ibilem le-
nceps ar-
i diceret,
Evan-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471063/phys_0101
DFG